

S 2 S 2 N

1557

Die rüben Lochim cras indiat 1/50
Mene rüben Lochim cras indiat 1/50
serminu

1550 wort

Da 100 lo

100 lo



Luna		15750	a terra	} multi in
Mercurij		7877	a Luna	
Veneris		7877	a Mercurio	
Solis	altrudo	284015	a Venere	
Martis	ep.	15750	a sole	
Jovis		7875	a Marte	
Saturij			a Jove	

PRÆCEPTA
 RHETORICÆ
 INVENTIONIS,
 ILLUSTRATA MULTIS ET UTILIBUS
 EXEMPLIS, ex Sacra Scriptura,
 & Cicerone, sumptis.

A
 DAVIDE CHYTRAEO.



VITEBERGAE
 EXECVDEBAT IOHANNES
 CRATO. ©
 ANNO M. D. LVI.



PRÆCEPTA
RHETORICÆ
INVENTIONIS
LIVSTRATA METIS ET VITI
SIVE EXEMPLARIS SIVE
A. B. CICERONE IN PARS
DAVIDE CHYTRAE



VITÆ
LIVSTRATA METIS ET VITI
SIVE EXEMPLARIS SIVE
A. B. CICERONE IN PARS
DAVIDE CHYTRAE

DOCTRINA ET VIR

TUTE PRÆSTANTI VIRO,
M. Martino Gestritio, Rectori Scho-
læ in Inclÿta Vrbe Vpsalia, ami-
co suo, S. D.

DAVID CHYTRÆVS.



APVD PLATONEM
in Phædro grauiſſi-
me pronunciat So-
crates, Ideo discenda
eſſe Dialectica &
Rhetorica, ut DEO
GRATA DICERE poſſimus. Quanto
magis nos in Eccleſia Dei decet ſtus-
dia artium, quæ formandæ orationis
rationẽ tradunt ad hunc finem refer-
re, ut DEO GRATA DICAMVS, et ueram
de Deo doctrinam immenſo Dei be-
neficio in monumẽtis Prophetarum
& Apoſtolorũ patefactam, & ipſi re-
ctius & facilius intelligamus, & alijs
maiori perſpicuitate explicemus.

Ego itaq; cum in ſtudio doctrinæ

A ij Theoz

Theologicæ uerfer, & munus propo-
nendi elementa ueræ de Deo doctrinæ
in hac Schola sustineam, propo-
fui auditoribus quibusdam priuatis
quibus PHILIPPI Rhetorica trade-
bam, exempla Præceptorum, bona ut
opinor, & illustria, quorum pleraq;
ex libris scripturæ sanctæ, & materijs
Theologicis deprompta sunt. Cœpi
etiam ex Prophetis & Apostolis, Fi-
gurarum, Troporum, schematum &
amplificationum exempla collige-
re, quæ spero aliquibus utilia & gra-
ta fore.

Tibi uero clarissime Martine hanc
lucubrationem inscripsi, ut tibi gra-
tias agerem, quod singulari fide & di-
ligentia in Inclito Regno Sueciæ, tū
cæterarum artium & linguarum stu-
dia, tum uero in primis uerã de Deo
doctrinam propagas, ad quam impri-
mis necessaria esse intelligis Artium
dicēdi præcepta, nō ociosis subtilita-
tibus aut cauillationib, intricata, sed
per

perspicuis & utilibus exemplis in lu-
cem & in aciem producta.

Deinde cum longo tempore inter
nos arctissima familiaritate in aliquot
Academijs deuincti fuerimus, cumq̃
uerum & constantem tuum erga me
amorem multis beneficijs demonstra-
ris, cupio hac dedicatione tenuis li-
belli, aliquam meæ erga te mutuæ be-
neuolentiæ & gratitudinis publicam
significationem declarare.

DEVM oro, ut pias Ecclesias &
studia literarum in his borealibus ho-
spitijs seruet, et te, ad salutem Ecclesię
& Reipub. regat & tueatur.

Bene & fœliciter Vale. Rostochij
13. Decembris, Qui Natalis est Sere-
nissimi Principis & Domini, D. ERI-
CI, Regis SVECIÆ electi, &c. & sin-
gularis Ecclesiæ Dei & Literarũ Nu-
tricij, quẽ ut seruet Deus longo tem-
pore incolumem & florentem
omnes pñj toto pectore
optant,

A 3

IN

INDEX ILLUSTRIVM
EXEMPLORVM.

- I. PSALMI Daudidis in genera causarum distributi.
- II. EPISTOLÆ S. Pauli & Petri ad quatuor genera causarum relatæ
- III. ORATIONES Ciceronis ad easdem classes accommodatæ.
- IIII. Doctrina de INCARNATIONE FILII DEI per locos generis Didascalici explicata.
- V. De Peccato.
- VI. IUSTITIÆ FIDEI Methodica tractatio.
- VII. Studia Philosophiæ necessaria esse Ecclesie Christi.
- VIII. Decem ARGUMENTA ex III. Capite Epistolæ ad Romanos, quæ confirmant hominem, propter solum CHRISTVM Fide iustificari, non propter bona opera.
- IX. Decem Argumenta ex III. Capite ad Galatas.
- X. An bellum gerere liceat CHRISTIANO.
- XI. Dispositio adhortationis ad BONA OPERA.

XII. Dispo

- XII. Dispositio Psalmi Miserere mei Deus.
- XIII. Dispositio Epistolæ in qua Adolescens petit à Patre sumptus studiorum.
- XIII. Loci CONSOLATIONVM Philosophicarum & Christianarum.
- XV. PAUPERATI quæ consolationes sint opponendæ.
- XVI. Loci laudationis personarum illustrati bonis Sententijs & Exemplis.
- XVII. De Iohanne Baptista.
- XVIII. De HENRICO Leone duce Saxonie.
- XIX. PRÆCEPTA Historiæ scribendæ, & de laudibus Historiæ.
- XX. De Apibus.
- XXI. De Westphaliæ laudibus præcipuis.
- XXII. Argumenta status coniecturalis ex Oratione Ciceronis pro S. Roscio & pro Milone.
- XXIII. Dispositio Orationis Qua Beniamin accusat fratres Parricidij ob interfectum Ioseph. Ex Gen. 37. (cati.
- XXIII. Definitioes Gratiæ, Fidei, Iustitiæ, Pec-
- XXV. Regule aliquot Vtiles de interpretatione scripturæ & conciliandis dictis scripturæ pugnantis.
- XXVI. De Dispositione Orationis, Exordiorū, Narrationis, Confirmationum & c.

XXVII. *Loci ex quibus exordia petuntur.*
XXVIII. DE LOCIS COMMVNIBVS
PHILOSOPHICIS *instituendis.*

IN PRÆCEPTA
RHETORICES
προλεγόμενα.

DEVS condidit Homines, ut
ipsum agnoscant & celebrent, &
inter sese alij alijs doctrinam de Deo,
de uirtutibus, & rebus bonis tradant,
& testimonia de Deo, & uirtutum
exempla ostendant.

Ideo in mentes humanas sparsit ra-
dios suæ lucis, quibus ipsum agnosca-
mus, & numeros, distinctionem, con-
sequentiam rerum, & ratiocinationū
metas intelligamus.

Addidit etiam LINGVAM, & ORA-
TIONEM, qua tanquam lumine, nostrarum
mentium cogitationes, alijs cer-
nendas perspicuè ostendamus.

Hoc lumen naturæ, monstrans uis-
am

E L O Q V E N T I A.

am & ordinem recte res cognoscendi, uere dijudicandi, & perspicue explicandi, uocatur Dialectica et Rhetorica. Quemadmodum sepe uidemus homines ingeniosos, expertes literarum, naturae beneficio, recte res multas explicare, uera argumenta texere, alia ex alijs ratiocinari, diserte animi sensa exponere, & opera artificum similia exhibere.

Cum autem in plerisque hominibus hoc naturae lumen obscurum sit, & ipsi etiam ingeniosi sine arte saepe aberrarent, & causas certitudinis suarum actionum non teneant; Deus immenso beneficio Heroica ingenia excitauit, quae diuinitus monstratam artem Rhetoricam composuerunt, et propagarunt, quae & excellentia ingenia regit, ac intra certas metas coercet, ne aberrarent, & mediocria ingenia erudit, & in iudicando, in dicendo, & scribendo adiuuat.

A 5 Ideo

ELOQUENTIA.

Ideo uerè in Platone dicitur: Dialecticam & Rhetoricam Dei donum esse, & quidem igniculum illum esse, quem Prometheus secum de cœlo attulit, quo significat radios diuinæ lucis sparsos in nostras mentes, ut sint initia & normæ cæterarum artium, quæ, ut apud Xenophontem Cœsus ait, fontes sunt omnium in uita bonorum.

Alibi Plato inquit uestigia Dei in hac arte conspici, Et in Epinomide iubet gratam de Deo famam in artibus sparsam, diligenter à discipulis inquiri. Ostendunt enim artes lumen quoddam diuinitus naturæ insitum esse, quo uita regatur, ut Deo obediat.

Vt autem usitata prolegomena de dignitate & utilitate Rhetorices, de causis eloquentiæ, de discrimine Dialecticæ & Rhetoricæ adolescentibus in conspectu sint: ducemus uocabulum Eloquentiæ, seu Rhetorices, seu
stus

ELOQUENTIA.

studium & facultatem recte dicendi,
ordine per quaestiones methodi.

DEFINITIO.

Non de Idea perfectæ Eloquentiæ
hoc loco agemus, quæ de omnibus re
bus sapienter & ornatè dicit, & ut Ci
cero de Oratore splendidissimè scri
bit, flexanima atq; omnium regina re
rum est, quæ uoluntates inclinât po
pulorum & Gentium, easq; quo uult
impellit, unde autem uult deducit,
quæ populi motus, iudicium, Religio
nes, Senatus gratuitatem conuertit,
quæ quemcunq; in animis hominum
motum res & causa postulat, eum di
cendo uel excitare potest, uel sedare.
Ad hanc excellentem uim & perfe
ctam Eloquentiam, etsi pauci quis
dam propius accesserunt, ut Cicero,
Pericles, Demosthenes, Et aliqui Ora
tores in Ecclesia Dei, Paulus, Basili
us, Lutherus, tamen cum ipse Cice
ro di

ELOQUENTIA.

ro dicat, se disertos uidisse non nullos, Eloquentem uero neminem, nemo nostrum, praesertim in tanta ignauia, illam ipsam facultatem sperare potest.

Definiemus igitur, ut nunc usitate loquimur, Eloquentiam esse facultatem disertam, hoc est, rectam, ordinem, & perspicuam de Deo, de uirtutibus & alijs rebus bonis dicendi aut scribendi, ad quam alij ornatum aliquem, & splendorem, & uim inflammandi animos seu mouendi affectus maiorem, alij minorem adiungere possunt. Sed tamen haec ipsa recte & perspicue dicendi facultas, seu scientia, seu ars, seu diligentia componendae perspicuae orationis, magnum decus est & uitae necessarium.

De Scholasticis quaestionibus, An Eloquentia sit uirtus, An Rhetorica sit ars, legant, qui uolent, primum de Oratore, & secundum Quintiliani.
Eloquens

ELOQUENTIA.

Eloquentia subtilissime limando non est habitus uoluntatis, sed mentis, qui est efficax per locomotiua linguæ, Sicut ars Architecti est efficax per locomotiua manus, Sed tamen ualde prodest retinere hanc formam loquendi, quod Eloquentia sit magna & excellens uirtus, pertinens ad 2. 3. 8. Præceptum Decalogi, & sit habitus inclinans uoluntatem & regens linguam, ut uera, recta, DE O GRATIA, & hominibus salutaria dicat.

Rhetorica est ars & quidem *ποιητική*, id est, factiua, quia fabricat orationem, & est scientia quatenus habet necessaria aliqua præcepta, quæ ex demonstrationibus extructa sunt, ut in suadendo ducenda sunt argumenta ab Honesto, ab Utili, quia natura appetit bonum & auersatur malum, præcipua autem bona sunt honesta, deinceps

ELOQUENTIA.

deinde Utilia, postea Suavia. Item
ad Propositionem necesse est addi
Confirmationem, quia unumquodlibet
scitur cognitis causis.

DIVISIO.

PARTES Eloquentiæ seu facultatis rectè dicendi, cuius uia & ratio in Rhetoricis præceptis monstratur, quinque sunt.

I. INVENTIO quæ ex locis in genera causarum distributis & rationem ac uiam explicandi ac tractandi materiam propositam, & argumenta ad eam confirmandam uel illustrandam necessaria inuenit seu depromit.

Requirit autem Inuentio uim ingenij mediocrem & doctrinam seu cognitionem earum rerum, de quibus dicendum est.

DI

ELOQVENTIA.

2. DISPOSITIO, quæ ordine conuenienti & totam orationis seriem & singulorum membrorum & argumentorum partes distribuit & collocat.

3. ELOCVTIO, quæ uerbis proprijs & perspicuis res exponit, & aptis figuris & ornamentis illustrare ac amplificare potest.

4. MEMORIA, Custos est rerum & uerborum, Eius beneficia tria sunt, Celeritas, qua cito accipit discenda. Firmitas, ut accepta retineat. Promptitudo seu certitudo, ut retenta, quotiescunq; repositur, promptè & expedite reddat.

Præcipua ars memoriæ est, ut Quintil. lib. ii. cap. 2. ait, Exercitatio seu labor multa ediscendi & reddendi.

5. PRONVNCIATIO, quæ in Eloquendo Vocem, Vultum, Gestum rectè moderatur, ut uidelicet

uox

C A V S Æ

uox pronunciantis sit clara, distincta
& tarda, quemadmodum Seneca scri-
bit, Ciceronem solitum esse tardè pro-
nunciare.

Gestus sint graues, sedati & ue-
recundi.

SPECIES.

SPECIES seu diuersæ formæ
eloquendi tres sunt, de quibus in fi-
ne Rhetorices dicitur, PRIMA Hu-
milis quæ oratione propria, simplici,
dilucida, plana, suauis, & apta res pro-
positas exponit, sine ullo affectato or-
natu. Talis est oratio Terentiij, Hero-
doti, Xenophontis, Philippi, Item Ci-
ceronis in libro de Senectute, de amicitia,
de officijs, in Epistolis ad Attis-
cum.

SECUNDA Species, Media,
priori uberius & copiosior est, ut Ci-
ceronis Philosophicæ disputationes,
Item aliquot Orationes, ut pro Mar-
cello, pro Lege Manilia.

TER-

ELOQUENTIÆ.

TERTIA Species est, Grandis, copiosa, plena, ampla & grauitate sententiarum & maiestate uerborum, ornata, uehemens & impellens animos, ut Orationes aliquot in Verrem, Philippicæ in Antonium, Item in Pisonem, Virgilius, Liuius.

CAUSÆ.

CAUSA EFFICIENS seu Author primus artis dicendi est Deus, qui & radios suæ lucis mentibus indidit, & linguam hominibus attribuit, ut alij alios ueram doctrinam de Deo, & alijs rebus, recte, ordine, & perspicuè docere possint.

Præcipui scriptores Artis qui exstant sunt, Cicero, Aristoteles, Quintilianus, Hermogenes, nostra ætatē Philippus & Sturmius.

CAUSAE Efficientes Eloquentiæ propinquæ, quæ in nobis efficiunt facultatem dicendi, quinque sunt.

B

PRI

C A V S Æ

PRIMA. NATVRA seu uis ingenij mediocris, quod acumine aliquo in inueniendis & ubertate in explicando ualeat. Nihil enim repugnante natura recte fieri nec quicquam excellens sine peculiari naturæ impetu effici potest, ut de facultate scribendi & dicendi Horatius inquit:

*Tu nihil inuita facies dicēsue Minerva. Item.
Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est multis, ego nec studium sine diuite
Nec rude quid profit uideo ingenium, alterius sic
Altera poscet opem res & coniuurat amice.*

SECUNDA. DOCTRINA seu sapientia seu cognitio earum artium, in quibus rerum, de quibus dicendum est, scientia continetur. Etenim, ut Cicero ait, ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio, quæ, nisi res subest ab Oratore percepta & cognita, linguæ uolubilitas, non

E L O Q V E N T I Æ.

non eloquentia existimanda est.

Hic similes sententię Ciceronis & aliorum ab Adolescentibus, ediscantur, quibus commonefacti nequaquam in hanc stultam opinionem incidant, ut existiment, Eloquentiam esse facultatem multa uerba faciendi de rebus non intellectis, ut multi eos ualde eloquentes Theologos existimant, qui luxurie quadam orationis auditores tenere possunt, cum tamen nullam partem doctrinę cęlestis solide & neruose explicent. Ita in Foro & Aulis dominantur Rabulę, qui ad maxima Reipublicę negocia nihil nisi calliditatem ingenij et linguę uolubilitatem sine ulla solidiore doctrina afferunt, quales in Rhetorum Magistro Lucianus pingit, qui armati inscitia, impudentia, clamore, uestitu florido, & famulicio frequenti omnium hominum primos se esse existimant.

B 2

Etsi

C A V S Æ

Etsi autem tales Rabulæ loquaces
& indocti apud Vulgus pluris fiunt
quàm Docti & Sapientes, ut in Gor-
gia dicitur : Δοκῆ εἰδέναι οὐκ εἰδὼς ἐν οὐκ
εἰδοσὶ μάλλον τοῖς εἰδοσὶ, Indocti inter
indoctos uidentur multò doctiores
ijs, qui ualde docti sunt : Tamen si
quis non uulgi iudicio, sed rei uerita-
te & eloquentissimorum & sapientis-
simorum hominum sententijs rem
existimabit, statuet solidam cognitio-
nem præcipuarum doctrinarum pa-
randam esse ijs, qui de rebus bonis &
salutaribus sapienter dicere uolunt.

Sint igitur adolescentibus in cons-
pectu hæ Gnomæ.

Cicero in Perfecto Oratore. Elo-
quentiæ Fundamentum est Sapien-
tia.

Horatius. Dicendi recte sapere est
& principium & fons.

In Partitionibus. Nihil aliud est E-
loquentia, quàm copiosè loquens Sa-
pientia; Item;

E L O Q V E N T I Æ.

Item. Nemo potest in eo disertus esse quod nescit.

Item. Non solum acuenda nobis neq; procudenda lingua est, sed orandum complendumque pectus rerum maximarum & plurimarum copia.

Quodq; parum nouit, nemo docere potest.

Apud Thucydidem Pericles inquit lib. 2. Duas esse summas uirtutes in alijs docendis & gubernandis necessarias, Scire quæ oportet scire, & ea posse eloqui. Γνωῖναι τὰ δέοντα καὶ ἐρμηνεύειν τὰ αὐτά, Siue ut Lucianus nominat, Σύνεσις καὶ δύναμις ἐρμηνεύειν. Hoc est, Sapientiam seu cognitionem rerum bonarum & uitæ utilium ac necessariarum; & facultatem diserte eas explicandi.

Vtramq; facultatem Homerus Vlyssi tribuit uno Versu;

B 3

Σοιδ'

C A V S Æ

Σοιδ' ἔω μὲν μορφὴν ἐπέων ἐνὶ ἧ φρεσίνεσσι ἑσθλὰν.

Mente uales, iuncta est facundis gra-
tia dictis.

Et Iliados α & β repetit hoc He-
mistichium .

ὁ σφίρ' εὐφρονέων ἀγορήσατο .

TERTIA. Communia Præcepta
Rhetorices, quæ duas utilitates stu-
dioso Eloquentiæ afferunt .

Primo, Viam & rationem mon-
strant, quam sequens facilius & res-
ctius rem propositam dicendo aut
scribendo perspicue possit explica-
re, ut in Græcis Præceptis dicitur,
ὅτι φύσει σωετῶν ὑπεδαικνύσσι ὁδούσιν ἄναξ ὄρα-
θὰς, οἷσιν ἄλλοι θάπτησιν ἀπὸ τῆς εὐμαρέσεσσι τε-
λέσασθαι.

Secundo, Adiuuant in legendis ho-
minum eloquentium scriptis & dis-
putationibus, ut seriem partium ora-
tionis, præcipua membra, argumen-
ta & ornamenta, deniq; totum cor-
pus disputationis facilius intelligere
&

E L O Q V E N T I Æ .

& animo complecti possimus, ut in lectione Epistolæ ad Romanos magnam lucem nobis affert, Dispositio præcipuorum membrorum orationis ad normam Præceptorum Rhetorices directæ, quæ à Philippo ædita est.

De hac utilitate Præceptorum Cicero inquit, Habent quædam quasi ad commonendum Auditorem, quo quidq; referat, quæ intuens ab eo quodcumq; sibi proposuerit animus minus aberret .

QVARTA Causa & præcipua est, Exercitatio dicendi & scribendi assidua, & ut dicitur, ἐκ τῆ λέγειν δὲ λέγειν πορίζεται. Hoc est, Eloquentia paratur eloquendo .

Et in primo de Oratore Cicero dicit, optimum ac præstantissimum dicendi effectorem ac magistrum esse Stylum .

Etsi autem adolescentibus initio

B 4 diffia

C A V S Æ

difficilis & molestissimus labor est exercendi Styli, tamen si exiguo tempore assiduitatem præstabunt, breui mediocrem facultatem scribendi sibi parabunt, & summa cum uoluptate deinde progredientur. πόνος τῶν χωρῶν οὐδὲρ εὐτυχῆ inquit Sophocles, Et de omni genere artium recte Ouidius locutus est, Solus & artifices qui facit usus erit. Itaque etiam in hac eloquendi arte, usu & exercitatione assidua opus est, adeo ut ipse Cicero in Nono Epistolarum de sese scribat, hæc uerba usurpans; Ipsa illa si qua fuit in me facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulisset, exaruisset.

QVINTA Causa est, I M I T A T I O, quæ & obseruat bona & illustria exempla, & intelligit exempla & eorum fabricationem, & studet simile aliquid exprimere.

In Ecclesia ad has quinque causas accedit Filius Dei, qui est λόγος & Orator

E L O Q V E N T I Æ.

Orator æterni Patris, & Spiritus sanctus, sicut scriptum est Matth. 10. Non uos estis qui loquimini, sed Spiritus patris uestri qui in uobis est.

CAUSAE IMPULSIVAE, quæ nos mouere debent ad studium & diligentiam rectè dicendi, sunt.

I. NECESSITAS in omni genere uitæ. Cum enim Ecclesia, Respublica, Scholæ, & priuata uita oratiõne gubernentur & contineantur, & oratio nulla adhibita ratione & arte non intelligi possit, perspicuum est certa uia & ratione eloquendi non minus quàm ipso sermone opus esse.

Hæc Necessitas colendi studia Eloquentiæ copiosius in duabus Philippici orationibus exponitur, quarum altera, sub nomine Hermolai Barbari, opposita est Epistolæ Iohannis Pici, Altera titulū habet, Necessarias esse ad omne studiorum genus artes dicendi.

C A V S Æ

Vtraq; autem diligenti lectione dignissima est.

II. DIGNITAS, Nam omnium operum humanorum summum ac præstantissimum est docere homines de Deo & alijs rebus bonis & uitæ necessarijs, nec alius cultus Deo gratior est, Deinde etiam in hac uita mediocris dicendi facultas ad summos honores in Republica aditum patefacit.

III. UTILITATES IMMENSÆ in omni genere studiorum & negotiorum, de quibus statim dicetur.

CAVSA MATERIALIS seu materia circa quam, sunt omnes res de quibus scribendum aut dicendum est.

FORMA est ipsa facultas recte ordine & perspicue & ornate de bonis & necessarijs rebus dicendi ac scribendi.

Fl

ELOQUENTIÆ.

FINES.

FINIS Eloquentiæ est, ut Plato ait, DEO GRATA DICERE, ut Quintilianus, bene dicere, cuius præcipua pars est res bonas, ueras et salutas iusto ordine & proprio ac perspicuo sermonis genere quasi pingere & explicare. Latissime autem patet hic usus Eloquentiæ.

I. In Ecclesia. Vt Doctores doctrinam cœlestem recte, distincte, iusto ordine & perspicue explicare & uerarum sententiæ corruptelas dextre & concinne refutare possint, cum cæteris artibus, tum uero eximia dicendi facultate opus est.

Deinde nec ipsum genus doctrine supra humana iudicia positum recte disci, nec sermo Prophetarum & Apostolorum intelligi potest sine figurarum & phrasium cognitione & sine tota ratione formandæ orationis.

II. In

V T I L I T A T E S

II. In Republica, in Aulis, in Foro, in Iudicijs, in Senatu, in Cōsilijs Principū & Ciuitatum, in Legationibus, in Comitijs, denique in omnibus partibus & plerisque officijs uitę politicę Eloquentia necessaria est.

III. In Scholis doctrina de Deo, & alię artes uitę utiles doceri ac propagari non possunt, sine certa ratione docendi, & sine facultate disertę res animo conceptas explicandi.

III. In Communi uita & præcipue in Epistolis scribendis singuli intelligunt se sine arte & exercitatione & imitatione optimorum non posse alijs animorum cogitationes perspicue significare.

V. Diligentia recte dicendi & styli exercitatio per sese ingeniorum acumen, perspicaciam & intentionem auget, & celeritatem quandam ac facilitatem in negociorum fontibus

ELOQUENTIÆ.

bus cernendis, & rebus prudenter
inuestigandis & arte digerendis &
commode eloquendis affert.

VI. Cura recte dicendi ac scriben-
di multa ingenij uicia emendat &
multas uirtutes gignit: prohibet præ-
cipitantiam, excutit ignauiam & ue-
ternum ingeniorum: frenat super-
biam temere iudicantem de aliorum
scriptis & oratione: assuefacit inge-
nia ut intentionem in cogitando
præstare possint: affert diligentiam, ut
dicamus sapienter cogitata, bona,
Deo grata, & salutaria, & causam to-
tam de qua dicturi aut scripturi su-
mus, maiore cura perpendamus & ar-
te formemus.

Vt Demosthenes dixit, se si posset,
non modo scripta, sed etiam sculpta
dicturum esse, nam impudentem &
improbum Nebulonem esse, qui
prodire ad dicendum ausu re non
diu

V T I L I T A T E S

diu antea multumque cogitata.

Cicero etiam in primo de Legibus scribit, se nunquam nisi paratum ad dicendum accessisse.

Augustus Imperator scribitur nunquam unquam locutus, nisi mediata & composita oratione.

Lampridius scribit Alexandrum Seuerum Imperatorem, Iurisconsultis dedisse deliberandi spacium de propositis negocijs, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.

Hæc ideo recito, ut studiosi & in sese curam discendi & cogitandi res de quibus dicturi aut scripturi sunt augeant, & agnoscere ac odisse discant quorundam arrogantem stoliditatem, qui ex tempore iactitant se de magnis rebus dicturos esse, ut concionatores aliqui gloriantur se ex manica concionem excutere, His
stul

ELOQUENTIA.

stultia & ignavia fustibus excutiens
da erat.

VII. Ex Oratione etiam de moribus
iudicari potest, nam Oratio animi
character est, ut Aristoteles inquit,
οἱ λόγοι τῶν ἠθῶν καὶ τῶν τρόπων εἰσι τοιοῦται
κόνας.

VIII. Diligentia recte dicendi Sa-
pientiam quoque & rerum cognitio-
nem auget, quæ semper cum studio
Eloquentiæ coniuncta est, Nam Elo-
quentes scriptores fere uniuersam do-
ctrinam de natura rerum, de moribus
& uirtutibus, de Reipublicæ gu-
bernatione, & omnibus rebus com-
plexi sunt.

EFFECTVS Eloquentiæ sunt
Docere, Mouere, & Delectare.

Etsi autem uim mouendi seu im-
pellendi, & suauiter demulcendi ani-
mos non omnes consequi possumus,
Tamen sciant adolescentes magnum
& necessarium decus esse solam do-
cendi

ELOQUENTIA.

cendi facultatem, hoc est, recte, proprie & perspicue rem propositam explicandi. Et bona, distincta, ac perspicua oratio per sese delectat animos, etiamsi plura ornamenta non accedunt.

COGNATA.

COGNATAE Artes Rhetoricæ sunt Dialectica & Grammatica, Nam plæraq; Præcepta Inventionis & Dispositionis ex Dialectica in Rhetoricam mutatis alicubi uerbis transcripta sunt, & præcepta Elocutionis de sermone emendato, proprio & perspicuo, de Figuris & Tropis, de Schematibus dictionis seu λέξεως, omnia grammatica sunt. Ita relinquatur Rhetoricæ fere sola doctrina de ratione amplificandi & ornandi orationem, quæ ipsa tamen ex locis Dialecticis oritur,

Discris

ELOQUENTIA.

Discrimen autem Dialecticæ & Rhetoricæ Cicero in Secundo de Finibus bonorum his uerbis breuissime exponit.

Zeno Rhetoricam Palmæ, Dialecticam pugno similem dicebat esse, quod Latius loquerentur Rhetores, Dialectici comprehensius. Idem in perfecto Oratore pluribus uerbis dicit, Et de claris Oratoribus ait Dialecticam esse contractam & astrictam Eloquentiam.

PUGNANTIA.

PUGNANTIA sunt. Infantia, de qua Cicero inquit, Nec infantia eius qui rem nouit, sed eam explicare dicendo non potest, nec inscicia eius, cui res non suppetit, uerba non desunt, laudanda est.

II. Garrulitas seu Volubilitas linguæ seu Loquacitas & copia uerborum

ELOQUENTIA:

borum sine rebus bonis & sine Sapientia.

Hanc uolubilitatem linguæ salustius Loquentiam uocat, Satis loquentiæ, sapientiæ parum.

Simile est quod Eupolis inquit, citante Plutarcho in uita Alcibiadis
λαλῆρ ἄριστος ἀδωατώτατος λεγῆρ. *Item*
οὐ λέγειρ δωὸς ἀλλὰ σιγᾶρ ἀδωατὸς.

Vt enim uasa, quæ sunt inania plurimum sonant, Ita plerumq; Quo quisq; est indoctior & stolidior, eo est loquatior atque etiam impudentior. Nam ut Thucidides inquit, Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, hoc est, Inscitia audaciam, sapientia uerò cunctationem in loquendo & actionibus affert.

III. Plurimi sunt abusus Eloquentiæ seu facultatis dicendi, quam alij ad opiniones impias erga Deum, & cultus idolatricos stabiliendos confecerunt, alij ad opprimendos bonos, alij ad

E L O Q U E N T I A.

ad obtrectationem, alij ad ostentationem &c.

Hi abusus omnes ad locum pugnantium referri possunt.

III. Pugnat cum Eloquentia etiam obscura oratio & monstrosa ac sordida, qualis est Scholasticorum Theologicorum, & quorundam interpretum Iuris. Nam in ipsis textibus Iuris ac praecipue in Pandectis purissima & elegantissima oratio latina est.

Nec propterea libris Prophetarum & Apostolorum eloquentia detrahenda est, quod in latina uersione multa obscure & sordide reddita sunt, nam in lingua natia eloquentissimi sunt, nec solum sapienter & perspicue res maximas exponunt, sed etiam illustribus & uenustissimis sententiarum ac uerborum luminibus & figuris, & magna uarietate affectuum mirifice ornant. Ut exempla

ELOQUENTIA.
quæ ex Psalmis Prophetis & Pauli
Epistolis, postea citabo, ostendent.

PRÆCEPTA RHE-
TORICES.

PARTES Eloquentiæ sunt In-
uentio, Dispositio, Elocutio, Memo-
ria, Pronunciatio.

Primum igitur in Rhetoricis tra-
duntur PRÆCEPTA INVEN-
TIONIS, quæ ex Locis in genera
causarum distributis, & Rationem ac
uiam explicandi ac tractandi mate-
riam propositam, & argumenta ad
eam confirmandam uel illustrandam
necessaria, inuenit seu depromit.

Vt igitur in tanta uarietate re-
rum, de quibus dicendum est, facilius
in quibuslibet materijs, & ratio ac
uia explicandi & argumenta ne-
cessaria inueniri possint: Omnes res,
de quibus dici aut scribi potest, in
quas

E L O Q U E N T I A.

quatuor classes distributæ sunt, quas
Genera causarum usitate nominant .

GENERA CAUSA-
rum quatuor sunt.

ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΟΝ seu Doctrinale,
monstrat rationem tractandi omnes
res, de quibus alij docendi sunt .

DEMONSTRATIVVM continet
Personarum, Factorum, & Res-
rum descriptiones, laudationes, & uis-
tuperationes .

DELIBERATIVVM rationem
Petendi, Consolandi, Adhortandi,
Suaderendi &c. indicat .

IVDICIALE tractat controuers-
fias forenses.

Duæ autem sunt causæ, propter
quas discernuntur genera materia-
rum, de quibus dicendum est.

C 3

I. Vt

GENERA

I. *Vt proposita materia, statim sciri possit, qui Loci ad eam uel confirmandam uel illustrandam adhibendi sint. Alijs enim locis seu argumentis utendum est in docendo, alijs in consolendo, alijs in petitionibus, alijs in laudationibus. Quare ad Inuentionem in primis necessaria est distinctio horum generum, quæ sunt quasi domicilia è quibus argumenta eruenda sunt.*

Altera causa est, ut finis seu scopus seu Propositio, seu Argumentum totius orationis prospiciatur.

EXEMPLA ILLUSTRIA Præcepti de Generibus Causarum.

Primum ex Veteri Testamento.

Totus Liber PSALMORVM aptè & eruditè in hac classes distribui potest.

Alij enim prorsus ad Genus διδασκαλικόν pertinent, vt Descriptiones Personæ, Officij, Regni, Passionis & Resurrectionis Christi, 2. 107. 71. 88. 44. 94. 95. 96. 116. 18. 23. 28. 92. 112. 66. 15. 21. 39. 68. 117.

Descriptiones Ecclesiæ. 1. 118. 83. 8. 86.

DO

C A V S A R V M.

DOCTRINA de Peccato, Causa Peccati & Mortis 13. 89.

Remissione Peccatorum & Iustificatione 31. 129. 51.

Fide seu Fiducia in Deum collocanda 90. 77. 61. 30. 4.

De uero cultu Dei & bonis operibus 49. 80. 14. 111. 115.

De statu Politico & Oeconomico 100. 126. 143. 127.

De officio Ministrorum 133. 134.

Ad Genus DEMONSTRATIVVM pertinēt.

Ἐπιτίμια Christi 67. 117. 149.

GRATIARVM Actiones, quibus celebrantur & ornantur beneficia diuina, Qualia sunt.

1. Creatio rerum 103. 135. 138.

2. Donatio Remissionis Peccatorum, & omnia beneficia Spiritualia 102. 146. 110. 114. 33.

3. Liberatio Ecclesie & piorum ex periculis 32. 33. 45. 106. 65. 91. 123. 124. 128. 17. 29. 22.

4. Beneficia Populo Israël exhibita 104. 105. 77. 113. 135.

5. Regnū Messie, Euangelion & Ecclesia 42. 46. 97. 98. 99. 107. 117. 137. 144. 145. 148. 150.

Laudatio Concordie 132.

C 4

Epi

GENERA

Epithalamion. 127.

AD GENVS SVASORIVM pertinent.

CONSOLATIONES In sensu iræ Dei, & paucibus conscientiæ. 76. 3.

Contra scandalum Crucis. 36. 38. 48. 72.

In ærumnis piorum, qui opprimuntur ab impijs doctoribus & Tyrannis. 74. 81. 120. 10. 51.

In Coniugio. 129.

PRECATIONES seu PETITIONES Remissionis Peccatorum 50. 129. 6. 24. 31. 37. 41. 42. 87. 142.

Defensionis Ecclesie contra Tyrannos, falsos Doctores, & omnes hostes 5. 16. 35. 93. 119. 7. 10. 25. 26. 27. 34. 43. 53. 54. 141.

Contra Hostes deuastantes Ecclesias & Scholas 73. 78. 79. 82. 122. 136. 139. 140. 141.

Liberationis 12. 30. 40. 55. 56. 57. 58. 59. 85.

Pro Magistratu & statu Politico 19. 20, 60. Ecclesia 70.

Christi in Cruce 68. 21.

AD GENVS IVDICIALE referri possunt Accusationes nature humane propter Peccatum 13. 52. Item Querelæ &c.

Ex hac Tabella non modo usus Præcepti de Gene-

CAVSARVM.

Generibus *Causarum*, Sed etiam Propositiones Principales, seu breuia Argumenta singulorum Psalmorum comparent.

In Numeris Psalmorum ueterem & usitatam Translationem secutus sum, Sed in Ebraea & Germanica uersione post decimum Psalmum ad numeros hic positos unitas addenda est.

SECUNDVM EXEMPLUM, Ex Nouo Testamento.

In Libris Noui Testamenti, AD GENVS DEMONSTRATIVVM pertinent Quatuor Euangelia, quæ sunt Historia Vitæ & Doctrinæ Christi, congruens ad Locos Personarum. Ordine enim recensentur.

1. Natales seu Parentes Christi.
2. Natiuitas.
3. Educatio, & Historia Pueritiæ.
4. Genus uitæ, ad quod diuinitus ordinatur in Baptismo.
5. Res gestæ congruentes cum genere uitæ, uidelicet Doctrina & Miracula & Sacrificium.
6. Virtutes singulis imitandæ pro cuiusq; facultate & uocatione.

C 5

7. Mors

GENERA

7. Mors.

8. *Ea quæ consecuta sunt Mortem, uidelicet Resurrectio & Ascensio in cœlum.*

Hæc autem omnia scripta sunt, ut credamus, quod Iesus sit Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam æternam consequamur in nomine eius. Hunc enim finem & scopum historie Ecclesiasticæ, Iohannes ipse cap: 20. monstrat.

EPISTOLAE PAULI IN Quatuor Genera Causarum distributæ,

. *Ex Epistolis Pauli ad Genus DIDASCALICON, siue ad statum Finitiuum Generis Iudicialis, qui pars est Generis Didascalici, pertinent.*

EPISTOLA AD ROMANOS, Quæ docet Quid sit Iusticia Christiana, uidelicet Remissio Peccatorum & Imputatio Iusticiæ gratuita, quæ uidelicet Deus hominem peccatorem & Iniustum, sed agnoscentem peccata per Legem, & agentem pœnitentiam ac credentem promissioni Euangelij, propter solum Christum Gratis absoluit à Peccato, & in gratiam recipit, & uitæ æternæ hæredem facit, non propter ulla opera Legis, sed propter solum Christum per FIDEM,
qua

C A V S A R V M.

qua simul accipitur Spiritus sanctus, qui mortificans reliquias Peccati, & naturam renouans accendit in mentibus nouam lucem, iusticiam & Vitam eternam.

Eodem pertinet Epistola ad GALATAS, quæ uelut Epitome est Epistolæ ad Romanos. Sed Defensio, qua Autoritatem Apostolicam contra Pseudo apostolos capite 1. & 2. tuetur, ad Iudiciale genus pertinet.

Epistola ad TIMOTHEVM, præcipuos doctrinæ Christianæ articulos ordine explicat, de usu Legis diuinæ, de Beneficijs Christi, de Inuocatione, De Coniugio, de Ministerio & Politia Ecclesiastica, de Traditionibus humanis, de corruptelis doctrinæ fugiendis, & uitandis falsis doctoribus.

Sic & Epistola ad EPHESIOS magna luce Verborum summam Euangelij tradit. De Beneficijs filij Dei, De Peccato Originis, De Iustificatione. De bonis Operibus, De Abrogatione Legis, De Ecclesia, De Ministerio Euangelij, De Coniugio.

Epistola ad COLOSSENSES, magna ex parte est descriptio personæ & beneficiorum Filij Dei.

Episto-

GENERA

Epistola ad TITVM, Imaginem boni Pastoris proponit.

AD SVASORIVM seu DELIBERATIVVM Genus pertinent. Epistola ad PHILIPPENSES, in qua hortatur Ecclesias Macedonicas, ut ueram Euangelij Doctrinam constanter retineant, & sint humiles, nec moueantur ipsius cruce, ut ipsum contemnant.

Epistola ad THESSALONICENSES est exhortatio, ut in professione Euangelij, in persecutionibus, & ærumnis perseuerent.

Posterior ad TIMOTHEVM magna ex parte est Adhortatio ad Constantiam in Confessione, & tuendam puritatem doctrinæ.

Epistola ad EBRÆOS, Adhortatio est, ut Christum Dei filium summum nostrum Sacerdotem & Victimam FIDE amplectantur, & in ea constanter in omnibus aduersis perseuerent.

In priori Epistola PETRVS hortatur, ut in Fide constanter perseuerent, & crucem patienter tolerant, & uitæ innocentie ac sanctitate Deum colant.

Ad Genus IVDICIALE pertinent obiurgationes in principio prioris ad Corinthios.

Item Excusationes & Defensiones contra Pseudo

CAVSARVM.

Pseudo apostolos in Epistola ad Galatas, & 2. ad Corinthios.

Etsi autem precipuae partes Epistolarum Pauli ad ea, quae dixi, genera referendae sunt, tamen omnes Epistolae in Epilogo quaedam praecipua complectuntur uel Ethica, uel Politica, uel Oeconomica, & de Ceremonijs in Ecclesia instituendis.

III. EXEMPLVM.

Plurimum etiam Prudentem Concionatorem haec Commonefactio iuuabit, Si singulas conciones ad certum aliquod genus cause accommodabit, & Locos in Arte praescriptos sequetur. Paulus 1. Timoth. 4. duo concionum genera facit. Doctrinam in genere Didascalico, Et Exhortationem in Genere Suasorio.

IIII. EXEMPLVM.

Addam etiam ex Cicerone Exemplum.

Omnes ORATIONES Ciceronis aut ad Genus Demonstratiuum pertinent.

Gratiarum Actiones, Vt Oratio pro Marco Marcello, in qua gratias agit Caesari, Quod Marcellum

GENERA

cellum hostem in pristinam dignitatem restituz
erit.

Item splendidissimæ Orationes post Reditum
ab exilio habitæ ad Senatum & ad Quirites.

Item in Catilinam III. cum coniurati compre-
hensi essent.

Ad genus DELIBERATIVVM pertinent .

Oratio pro Lege Manilia, qua suadet Pom-
peium eligendum Imperatorem ad Bellum Mi-
thridaticum.

Oratio de Prouincijs Consularibus, qua sua-
det Senatui, ut Gabinio & Pisoni adimant pro-
uincias, quas sibi delegerant.

De Lege Agraria contra Rullum, Quæ Ora-
tio illustre exemplum est artificiosæ Dissua-
sionis.

Prima in Catilinam, qua suadet ut egredia-
tur ex Vrbe.

Item Quarta, qua suadet Senatui, ut Syllanæ
potius, quam Cæsaris sententiam, de supplicio
coniuratorum sequantur.

Ad IVDICIALE genus, ad Statum Con-
iecturalem pertinent .

Oratio pro S. Roscio Amerino, in qua dispu-
tatur, An Roscius sit Parricida .

Pro Q. Roscio Comedo, Roscius Fannio nihil
debet. Multæ

C A V S A R V M.

Multæ in Verrem, in quibus contendit Verrem esse Furem.

Pro Fonteio. Non est Gallorum querelis credendum, quod sub Fontij Prætura Gallia sit ære alieno oppressa.

Pro Cluentio. An ueneno uitricum suum sustulerit.

Pro Rabirio. An Interfecerit Saturninum Trib. Ple.

Pro Deiotaro. An insidiatus fuerit uitæ Cæsa

Pro Flacco. An sit reus repetundarum (ris.

Pro Sylla. An fuerit coniuratus Catilinæ.

In Vatinium, Quod non sit eius testimonio credendum.

Pro Cælio. An uenenum Clodiæ pararit.

Ad statum LEGALEM, seu scripti & sententiæ.

Oratio Pro Cecinnia. Non eieci, sed accedentem prohibui.

De Aruspicum responsis.

Ad FINITIVVM Oratio pro Murena. Quid sit Ambitus.

Pro Plancio.

Ad statum IVREDICIALEM. Cicero in urbe retinendus, nec in exilium eijciendus est.

Pro Domo sua, Quod iure recedatur.

Pro

GENERA

Pro Lucio Cornelio Balbo. An licuerit Pompeio donare Balbum Gaditanum iure Ciuitatis.
Pro Milone. An Iure interfecerit Clodium.
Deprecatio pro ligario.

V. EXEMPLVM.

Orationes Liuij & Thucydidis pleraq; ad Genus suasorium pertinent. Quare Præcipuarum Argumenta et Propositiones, ubi ad Præcepta illius generis peruentum fuerit, exponemus.

Nec difficile est his exemplis consideratis, Omnes Declamationes Philippi, Epistolas Ciceronis, Sadoleti, & aliorum quoq; authorum scripta, in has quatuor classes, seu genera causarum referre.

Ac cum in hæc Genera distribuuntur Disputationes, Epistolæ, Orationes, et alia scripta eruditorum, simul etiam status seu Principalis Propositionis, quæ continet summam negocij, ad quam omnia orationis membra sunt referenda, compararet.

Etsi autem Loci Inventionis ad Confirmationem & Confutationem præcipuè pertinent, Ideo Præcepta de Exordio, Narratione & Propositione, prius recensenda erant: Tamen cum

Præ-

C A V S A R V M.

Præceptum de Generib. causarum exorsi simus,
singulorum Generum Locos ordinè recitabimus,
& illustria exempla addemus.

Ac primum de Genere Didascalico agemus,
cuius nunc in Ecclesijs & Scholis creberrimus
usus est.

Secundo de Genere Deliberatiuo, quod ferè
quotidie in scribendis Epistolis, & Orationibus
habendis, usurpari necesse est.

Tertio de Genere Demonstratiuo.

Postremo de Genere Iudiciali. His absolutis
pauca etiam de Exordio, Narratione, Propositio-
ne, & singularum Orationis partium Dispositio-
ne adiungemus.

D E G E N E R E D I D A S C A L I C O.

GENVS DIDASCALICVM est Methodus
docendi, quæ in Dialectica traditur.

Pertinent igitur ad hoc Genus omnes mate-
riæ, de quibus docendi sunt homines. Nam Loci
huius Generis in omnibus materijs monstrant
Methodos, hoc est, Rectissimam viam seu ordi-
nem, & inuestigandi cuiuscunq; rei naturam, ut
nihil uel discentem, uel docentem fugiat, quod

D ad

GENVS

ad institutum pertinet, & eligendi, cum aliunde offeruntur, res conuenientes nostro instituto, & rectè eas explicandi, & intra metas certas continendi.

Sunt autem duplices Materie, de quibus alij docentur, simplices & coniuuctæ. Itaq; duæ classes Materiæ Generis Didascalici constituentur.

Loci monstrantes rationem rectè intelligendi & explicandi quamcunque Questionem seu Materiam simplicem, in hoc libello sex recensentur.

- I. Quid sit, seu Definitio Nominis, & Rei. Hæc enim fons est totius explanationis.
- II. Quæ Partes, uel Species, seu Diuisio.
- III. Quæ Cause efficientes, Materia, Forma, Finis.
- IIII. Qui Effectus, seu Officia.
- V. Quæ Cognata seu similia. Item Exempla.
- VI. Quæ Pugnancia.

Per hos locos si ducetur res proposita, tum & ipsi rectè & integrè eam intelligere, & alijs uerè et perspicuè poterimus explicare.

Illud tamen simul Studiosi meminerint, Materiam dicendi non à nudis & solis hisce locis supeditari, sed adiungendam esse cognitionem earum

rum

DIDASCALICON.

rum Artium, in quibus rerum, de quibus dicendum est, doctrina continetur. Ut concionaturo de Materijs Theologicis, Theologia: disputaturo de Iure, Iurisprudentia: dicturo de rebus Medicis, Medicina discenda est. Quod enim parum nouit, nemo docere potest.

Profunt autem hi Loci Generis Didascalici ad id, ut & discentes facilius & rectius summas Artium animo complectantur, & docentes proposito in Artibus rerum cumulo, eligant ea, quæ ad institutum pertinent, & rectè ordine & perspicuè ea explicent.

EXEMPLA huius Generis causarum illustria & optima passim obuia habent Studiosi in omnibus Philippi scriptis, ac præcipuè in Locis Theologicis, De Peccato, De bonis operibus, De Lege Dei, De Cruce, De Inuocatione.

Cicero de OFFICIIS primum docet Quid sit Officium, uidelicet Actio Virtutis, cuius ratio probabilis ex lege natura sumpta, reddi potest. Deinde recenset Species, Prudentiam, Iusticiam, Fortitudinem, Modestiam, & has ordine explicat. Eruit causas uirtutum ex ipsa natura hominis. Cognatas uirtutum species in explicatione coniungit, & Pugnancia cum officio, scelera, toto pectore fugienda demonstrat. ☉

GENVS

In Libris de NATVRA DEORVM, Primo disputat An sit Deus. Secundo. Quid seu Qualis sit Deus. Tertio. Qui effectus, Quid agat? An procurationem habeat rerum humanarum.

In Libris de LEGIBVS itidem initio Fontem Legum in natura, seu Definitionem Legis Naturæ constituit. Lex est iustorum iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam Leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos adficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Deinde causas Legum ex cognatione mentis humanæ cum diuina, & legum species seu capita præcipua, cum ordine Tabularum Decalogi congruentia, & singulorum rationes exponit.

Vbiq; autem exempla huius Methodi in eruditorum scriptis obuia sunt. Et nuper Virtutes omnes iuxta ordinem Locorum Generis Didascalici, mediocri diligentia à me explicatæ sunt, in libello, cui Titulus est, REGVLÆ VITÆ.

Cum uerò nunc instet dies Natalis Filiij Dei, Domini nostri Iesu Christi, breuiter recitabo doctrinam de INCARNATIONE FILII DEI.

I. DE

DIDASCALICON.
I. DEFINITIO NOMI-
NIS ET REI.

Caro in hac Quæstione significat Naturam humanam, constantem Corpore & Anima, integram, habentem omnes vires & appetitiones nature proprias, sed tamen sine Peccato. Incarnatio non significat Mutationem nature diuinæ in humanam, nec confusiuem aut permixtionem naturarum, sed significat adsumptionem seu coniunctionem Nature humanæ cum diuina. Est autem hæc Definitio Rei ex testimonijs uerbi diuini extructa.

INCARNATIO FILII DEI, est unio personalis duarum naturarum, diuinæ de substantia Patris ab æterno genitæ, & humanæ de substantia Mariæ uirginis adsumptæ, facta mirando consilio diuinitatis, ut genus humanum ab ira Dei, & æterna damnatione sufficienti ad Deum redimeretur.

PARTES persone Christi sunt duæ Natura, Diuina & Humana.

*CAUSA EFFICIENS Principalis est persona Filij Dei, intercedens pro genere humano in Peccatum lapsa, & adiungens sibi nostram natu-
D 3 ram,*

GENVS

ram, ut Ebre. 2. dicitur. Filius Dei non Angeli-
cam naturam, sed Semen Abrahæ adsumpsit.

Προκυματικὴ seu Impulsiva interior, est im-
mensus Amor Dei erga Genus humanum, quod
non uoluit prorsus perire. Iohan. 3. Rom. 5.

Προκαταρκτικὴ seu Obiectum quod mouit uo-
luntatem Dei est Peccatum & iustissima damna-
tio Generis humani.

MATERIA EX QVA carnis Christi,
est uirgo Maria. Gen. 3. Gal. 4.

FORMA in Iohanne describitur. Verbum
caro factum est. Id est, Filius Dei adsumpsit hu-
manam Naturam, ita ut sit una persona Iesus
Christus, non conuersione Naturæ diuinæ in hu-
manam, nec Naturarum confusione, sed personali
unione.

FINALIS CAUSA Incarnationis est. I. Ut
Genus humanum ab ira Dei & aeterna damna-
tione sufficienti ἅπλοως redimeretur. Cum enim
Genus humanum deliquisset, ordo Iusticiæ postu-
labat, ut homo pœnam sustineret, & ut Redem-
ptor molem iræ Dei sustinere, & sufficiens ἅπ-
λοως persoluere posset, necesse fuit Deum naturæ
humane uniri.

Deinde alij fines seu effectus seu Beneficia
adiungantur, quæ in Esaiâ cap. 9. recitari audi-
uimus.

DIDASCALICON.

uimus. Libertas, Adoptio in filios, Donatio Iusticie, Lux rectè agnoscens Deum, Pax Conscientiæ cum Deo, Letitia acquiescens in Deo, Gloria in excelsis seu celebratio Dei, Vita æterna.

COGNATA. Qualescunq; umbrae adhibentur ad huius mirandi fœderis declarationem. Sicut Anima Rationalis & caro unus est homo: Sic Deus & homo unus est Christus.

PUGNANTIA sunt omnes hæreses, quæ uel Personam Christi, uel officium ac Beneficia, uel doctrinam de Applicatione beneficiorum oppugnaverunt.

Aliud Exemplum.

DE PECCATO.

Vocabulum Peccati in genere significat malum quod est reum, maledictum & abiectum à Deo.

Vt autem in omni Relatione duo insunt. Fundamentum & Terminus. Ita Peccati Fundamentum est Defectus, Inclinatio uel Actio pugnans cum lege Dei. Terminus est Reatus, seu obligatio ad iram Dei & æternas pœnas.

D 4

DE

GENVS
DEFINITIO REI,
quæ in Locis Theologicis
constituta est.

Peccatum est Defectus, uel Inclinatio, uel Actio, in natura rationali, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & commerens æternas pœnas, nisi fiat remissio propter filium Dei Mediatorem.

SPECIES sunt Peccatum Originale et Actuale. Item Veniale, Mortale.

Peccatum Originale est defectus, uel inclinatio, pugnans cum lege Dei, nobiscum nascens, & secuta lapsum Adæ, promerens iram Dei, et æternas pœnas, nisi fuerit facta remissio propter filium Dei Mediatorem.

Peccatum Actuale est Actio interior uel exterior, pugnans cum lege Dei.

Partes peccati originis sunt .

{	Caligo in mente.
	Auersio uoluntatis à Deo.
	Contumacia cordis.

CAUSA EFFICIENS Primi Peccati est libera uoluntas Diabolorum & hominum, qui quales fuerunt post lapsum, tales carnali generatione propagarunt.

MATERIA, IN QUA sunt partes Animæ,
Mens,

DIIDASCALICON.

Mens, Voluntas, Cor, Potentia sensitiva, Appetitiva, & Membra externa.

Materia circa quam, seu Obiectum omnis Peccati est Deus.

FORMALE est Reatus, seu Obligatio ad iram Dei & æternas pœnas, Qua sublata, manet Materiale seu Fundamentum, hoc est, ipsum uicium nobiscum nascens, cuius Formale est Defectus.

FINES & Effectus sunt pœnæ præsentis & æternæ, Tyrannis Diaboli, & Concupiscentia.

COGNATA. Vicium in Philosophia.

PUGNANTIA. Remissio peccatorum propter Filium Dei, qui factus est Peccatum pro nobis, ut nos fieremus Iusticia Dei in ipso. 2. Corinth. 5.

Aliud Exemplum.

DE IUSTITIA FIDEI seu IUSTIFICATIONE Hominis coram Deo.

Vocabulum Iustitiæ in Philosophia, in Iure, & in Lege Dei significat, Aut uniuersalem obedientiam erga omnes Leges, Aut Particularem

D^s

uirtu=

GENVS

uirtutem, quæ neminem lædit, suum cuiq; tribuit,
& seruat æqualitatem.

In Euangelio significat Remissionem peccatorum, seu Imputationem Iusticiæ gratuitam propter Christum.

Estq; in Prædicamento Relationis, cuius Fundamentum est Deus immensa Misericordia propter Christum Mediatorem remittens nobis peccata, & pronuncians nos iustos esse, ac heredes uitæ æternæ.

Terminus est, Persona credens. Inter hæc Relatio seu formale est Applicatio Misericordiæ Dei & beneficiorum Christi, ad Personam credentem. Sit igitur in conspectu Definitio.

Iusticia Christiana seu Iusticia Hominis coram Deo est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis & Imputationis Iusticiæ, & acceptationis ad uitam æternam propter meritum filij Dei, per Fidē, qua simul fit liberatio ex morte æterna, & uiuificatio per filium Dei d'ic' τ' λόγος, & sanctificatio per Spiritum sanctum.

DIVISIO seu SPECIES Iustificationis nullæ sunt. Vna est enim & eadem ratio Iustificationis, omnium heredum uitæ æternæ, omnibus temporibus mundi. Act. 4. 15. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, sicut et patres nostri saluati sunt.

Causa

DIDASCALICON.

CAUSA EFFICIENS principalis est Deus, sua immensa Misericordia & Gratia non imputans nobis peccata, & recipiens nos ad hereditatem uitae aeternae.

CAUSA IMPULSIVA, quae mouet Deum, ut nos indignos & pollutos peccato, recipiat & iustificet, est solus filius Dei Dominus noster Iesus Christus Mediator, qui sua intercessione, deprecatione, obedientia, passione, morte, & resurrectione iram Dei iustissimam aduersus peccata placauit, & remissionem peccatorum, ac restitutionem Iusticiae et uitae aeternae nobis impetrauit.

Media per Quae haec ingentia beneficia, quae Iustificationis uocabulum continet, nobis offeruntur & exhibentur, sunt Euangelion & Sacramenta.

INSTRUMENTVM uero in nobis, quo accipimus promissionem reconciliationis, iusticiae, & uitae aeternae propter Christum exhibendae, est sola Fides, quae omnia in uerbo Dei nobis ad credendum proposita firmiter credit, & promissionem remissionis peccatorum, iusticiae & uitae propter Christum donandae amplectitur, non dubitans, sed certo statuens, sibi peccata remitti, se iustum esse, & Deo placere, se recipi & exaudiri propter solum Christum Mediatorem.

⊙ **Materia**

GENVS

Materia circa quam sunt omnes homines, agentes pœnitentiam & credentes Euangelio. Iohan. 3.

FORMALE Iustificationis est Imputatio Iusticiæ, seu Absolutio à peccato, remissio peccatorum, recõciliatio & acceptatio ad uitam æternam, cum qua coniuncta est renouatio nature per Spiritum sanctum, habitantem & efficacem in nobis.

FINIS & EFFECTVS Iustificationis sunt.

1. Donatio Spiritus sancti, seu Inhabitatio diuinitatis in Iustificatis.
2. Pax conscientie adquiescētis & letantis in Deo, Inuocantis Deum, & perferentis omnes ærumnas.
3. Omnia bona opera piorum, Inuocatio, Gratiarum actio, Confessio, Patientia & c.
4. Vita æterna.

COGNATA sunt Prædestinatio.

PUGNANTIA sunt precipue corruptele huius Articuli octo.

- I. Significationis uocabuli. Nam Iustitiam Fidei quidam intelligunt Qualitatem in nobis. Quidam ipsam Essentiam Dei.
- II. De causa Impulsiva, seu Merito, propter quod

DIDASCALICON.

quod à Deo recipimur & Iustificamur, Philoſo-
phi, uiri politici, Pelagiani, affirmant nos discipli-
na, hoc est, externa obedientia erga legem Dei iu-
stos esse.

III. Monachi contendunt ita intelligendam
esse Propositionem Pauli, Iustificamur fide, Scili-
cet, formata dilectione.

IIII. Aduersarij in nostro tempore dicunt esse
Synechdochen, fide scilicet, et cæteris uirtutibus.

V. Liber Augustanus affirmat nos propter
solum Christum fide iustos esse ratione principij,
sed ratione mediij & finis nos iustos esse fide, di-
lectione & cæteris uirtutibus coniunctis.

VI. Aduersarij affirmant, perpetuò dubitan-
dum esse, an simus iusti, & Deo placentes. Hæc
dubitatio totam doctrinam Euangelij euertit.

VII. Osiander disputat, Nos iustos esse, non im-
putatione Iusticie, seu obedientie Christi, sed es-
sentiali iusticia Dei, seu ipsa essentia Dei in nobis
habitante.

VIII. Origenes uerbis Pauli, sine operibus le-
gis, intelligit tantum excludi opera ceremoni-
alia, sed non Moralia.

IX. Multi omnibus temporibus existimant
se obseruatione Ceremoniarum iustos esse.

CON=

GENVS
CONIUNCTAE QVAE
stionis tractandæ Methodus.

Artificium tractandæ Quæstionis coniunctæ, seu confirmandi aut confutandi propositionem aliquam, totum ex Topicis, hoc est, Locorum Dialecticorum doctrina petitur.

Ideo meminerint auditores, Totum Quartum librum Dialectices, De Locis Argumentorum & Ratione dissoluendi uiciosa Argumenta, esse Methodum, seu Rationem tractandi Quæstionem coniunctam in Genere Didascalico.

Sunt aut præcipui Loci, qui hic recensentur, & ad quos cæteri ferè omnes referri possunt.

- I. *Definitio, & Membra Definitionis, Genus, Differentia, Proprium, Etymologia.*
- II. *Diuisio seu Partes.*
- III. *Causæ. Efficiens, Materia, Forma, Finis.*
- IIII. *Connexa.*
- V. *Pugnantia.*

In Theologicis Materijs, Locus Testimoniorum scripturæ diuinæ in primis dominatur. Qui tamen ad Locum causarum referri potest.

*Vt autem facilius ex hisce Locis argumenta depromi possint, semper in conspectu sit hæc
AVREA REGVLA.*

PRI

DIDASCALICON.

PRIMO. In omni Propositione confirmanda uel refutanda, duæ sunt Partes, seu Voces simplices, quarum comparatione uera est aut falsa Propositio. Hæ uocantur Subiectum & Prædicatum.

SECUNDO. Harum partium utraque ducenda est ordine per Locos Methodi Quæstionis simplicis, quantum cuiusque uocabuli Natura feret, conquiendæ definitiones, Partitiones, Causæ, Effectus &c.

TERTIO. Ex comparatione Subiecti ad Definitionem, Partes, Causas, Effectus &c Prædicati, & e contra ex comparatione Prædicati ad Definitionem, Partes, causas subiecti, argumenta eruuntur. Hoc ut clarius intelligi possit exempla adhibebo.

Sit

GENVS

Sit Quæstio coniuncta. An Philosophia sit necessaria Ecclesiæ Christi.

Vt igitur huius Quæstionis ueritatem uel falsitatem explorent. PRIMVM Propositionem resoluo in partes simplices, quæ sunt Philosophia et Ecclesia Christi.

SECUNDO, Hæc duo uocabula ordine per Locos seu Quæstiones Methodi Thematum simplicium, euoluo.

DEFINITIO.

Philosophia est cognitio Artium dicendi, præceptorum de Moribus, Naturæ rerum, & Mathematicum, tanta humana ratio adsequi potest.

Ecclesia Christiana est coetus hominum audientium, discipulorum, & fide amplectentium domum, tantam gratiam à Christo in libris Prophetarum & Apostolorum traditam, & rectè utentium Sacramentis, in quo coetu semper aliqui sunt Deo placentes & heredes uitæ æternæ.

DI

DIDASCALICON.
DIVISIO SEV PARTES

Philosophiæ. Ecclesiæ.

- I. Artes dicēdi, Gram- I. Docentes seu Mini-
matica, Dialectica, stri, quorum officia sunt
Rhetorica. docere, consolari, exhor-
II. Linguae præcipuae, tari, refutare contradi-
Latina, Græca, Ebraea. centes &c.
III. Doctrina de Mortu- II. Auditores seu Popu-
bus, Ethica et Politica. lus audiens & credens.
III. Physica, de Anima, de structura corporis
humani, de Naturis animantium, Plantarum,
gemmarum &c.
V. Mathemata, de Motibus cœlestibus, de
Anno, de Calendario.

CAUSAE

Philosophiæ. Ecclesiæ.

Efficiens est Deus, Efficiens est Deus,
qui radios suæ Lucis & qui per Ministerium
Sapientiae in mentes hu- Euangelij, filio suo spon-
manas sparsit, ex quibus sam ex genere humano
omnes honestæ Artes excerpit.
extractæ sunt.

EFFECTVS.

Artes sunt Fontes Effectus seu officia
omnium in uita bonorū. Ecclesiæ Christi sunt,
E Philo-

GENVS

Philosophia est dux ad Vere agnoscere Deum,
agnitionem Dei. & filium ipsius Domini
Est Meditatio mortis. num nostrum Iesum Chri-
Philosophia medetur a- stum, celebrare, inuoca-
nimis sollicitudines de- re, laudare Deum, pro-
trahit, pellit terrores pagare ipsius doctri-
&c. nam, multos ad agnitio-
nem Dei, & societatem
eternae uitae conuertere.

PUGNANTIA CVM

Philosophia Ecclesia Christiana.

I. Ignorantia Artium et Coetus Impij contemnen-
Linguarum. tes Euangelium, Epicu-
Corruptela Artium. rei, Turci, Iudaei. Item
Abusus Philosophiae. qui Titulo Ecclesiae se-
ornantes impia dogma-
ta defendunt, ut Phari-
saei, Sadducei, Haeretici,
Papistae, Monachi.

TERTIO, Ex harum Definitionum, Parti-
tionum, Causarum, Effectuum & Pugnantium
comparatione, & argumenta illustra, & am-
plissima dicendi copia depromitur.

I. A DEFINITIONE

prædicati.

Doctri-

DIDASCALICON.

Doctrina in libris Prophetarum & Apostolorum tradita non potest sine Philosophia, sine Dialectica, sine linguarum & multarum artium cognitione doceri, disci, propagari, et contra Hæreticos defendi.

Ecclesia Christi est cœtus hominum audiens, discens, docens, propagans, & defendens doctrinam à Christo traditam.

Ergo Ecclesia Christi non potest literis, linguis, et artibus, quas Philosophia cõtinet, carere.

II. A DEFINITIONE subiecti.

Cognitio Artium dicendi, linguarum, naturæ rerum præceptorum de Moribus, & Mathematicum est necessaria Ecclesiæ Christi.

Philosophia est cognitio artium dicendi, linguarum, naturæ rerum &c.

Ergo Philosophia est necessaria Ecclesiæ Christi.

III. EX PARTIBVS SVB iecti amplissima confirmandi & amplificandi materia nascitur.

Quàm necessaria sit Ecclesiæ Dei Grammatica, quæ nativum genus sermonis diuini, Phras
E 2 *sis,*

GENVS

ses, & figuras uerborum dextrè & perspicuè enarrat.

Dialectica, quæ certa Methodo corpus doctrinæ Christianæ in discendo & docendo complectitur, & corruptelas ueræ sententiæ refutat.

Rhetorica, quæ omnes conciones, exhortationes, consolationes gubernat.

Lingua Græca & Ebraea ad fontes doctrinæ Christi, Apostolorum, & Prophetarum intelligendos. Plurimi enim errores, & grauissimæ controuersiæ inspectis fontibus linguarum facile dijudicari possunt.

Ethica & Politica doctrinam de Lege Dei et de Magistratibus illustrant.

Physica de discrimine potentiæ animæ, ad doctrinam de peccato Originis, de libero Arbitrio, de discrimine Legis & Euangelij, rectius explicandam plurimum lucis affert. Passim etiam in concionibus diuinis ad Naturas animantium & Plantarum alluditur, ut in Psalmo: Iustus ut palma florebit. Et pullis coruorum inuocantibus eum. Ego sum Vitis bona &c.

Astronomiæ & Arithmeticæ cognitio ad conseruandam seriem Annorum Mundi, & tempora rerum gestarum in Ecclesia, ad præceptum de Paschate

DIDASCALICON.

*Paschate celebrando die 14. mensis primi, Ad
Eclipsin Solis, quæ Christo pendente in cruce ac-
cidit, eruditè explicandam necessaria est.*

*Cosmographia lucem affert historie sacre,
monstrans situs & intervalla Locorum, in qui-
bus diuinæ patefactiones traditæ, & aliæ res ge-
stæ esse scribuntur.*

*Ex hac commemoratione apparet uberrimam
argumentandi & dicendi copiam nasci ex
hoc uno loco Partium, quæ si per exempla &
Antitheses euoluerentur, infinitus se dicendi cam-
pus aperiret.*

*Sed relicta hac quæstione duo Exempla ex
Epistolis Pauli, bona & illustria recitabo.*

ALIVD EXEMPLVM
est Epistola Pauli ad Romanos
manos.

*Paulus in Epistola ad Romanos & ad Gala-
tas constituit hanc Propositionem confirman-
dam.*

*Statuimus fide iustificari homi-
nem, sine operibus legis. Seu homi-
nes coram Deo iustificantur, non pro-*

E 3 pter

GENVS

pter bona opera seu legem, sed propter solum Christum Mediatorem, per fidem.

In hac oratione, quæ ex duabus Propositionibus contexta est, partes simplices sunt. Iustificatio coram Deo, Bona opera, Lex, Christus Mediator, Fides.

Ex harum uocum Definitionibus, Causis, Effectibus, & connexis inter se collatis, ducit Paulus Argumenta.

Ac in quarto capite ad Romanos decem Argumenta recenset, quæ inclusa metis syllogisticis ordine distribuam.

I. A GENERE ET Exemplo,

Vna & eadem ratio est Iustificationis omnium Sanctorum omnibus temporibus mundi.

Abraham iustificatus est coram Deo non propter propria opera, sed fide, imputata ipsi iustitia propter uenturum Semen.

Ergo nos quoq; iustificamur fide, non proprijs operibus.

Maiorem probat Testimonio sumpto ex 15. cap: Genesis. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.

II. A DE

DIDASCALICON.
II. A DEFINITIONE.

Iustificatio est imputatio iustitiae gratuita.

Operibus seu Meritis proprijs non imputatur ex Gratia, sed debetur merces. Fides autem nitenti promissa misericordia Dei erga impios, seu non afferentes opera & merita, Gratis imputatur iustitia.

Ergo non operibus seu meritis proprijs, sed fide Gratis iustificamur.

III. itidem A DEFINITIONE
sumptum est.

Iustificatio seu Beatitudo hominis coram Deo est Remissio peccatorum, uidelicet cum Deus non imputat peccatum, sed Gratis recipit credentem propter promissam Misericordiam.

Ergo non iustificamur proprijs operibus seu uirtutibus, quae nunquam satisfaciunt Legi, & semper polluta sunt peccato, cui opus est gratuita remissione.

IIII. AB ORDINE CAUSARUM & Effectuum.

Impossibile est Effectum priorem esse causam suam.

E 4

Abra=

GENVS

Abraham reputatur iustus seu beatus ante Circumcisionem.

Ergo opus illud non est meritum iustificationis, quæ Gratis donatur credenti.

V. PRINCIPALE ET

Σύμπερον ductum est ex causa promissionis.

Nulla promissio pendens ex conditione Legis est certa & firma.

Ratio. Quia nemo Legi Dei satisfacit, Ideo lex iram efficit, id est, Demonstrat iram Dei omnibus hominibus, incutit dolores & pauores.

Promissionem Gratiae seu Remissionis peccatorum, iustitiae, & uitæ aternæ oportet esse certam.

Ratio. Ideo enim prodijt Deus ex arcana sede sua, & Euangelion de Christo patefecit, & Ecclesiam à gentibus distinxit, ut nota & certa sit Remissio peccatorum, & tollatur dubitatio ex mentibus hominum, & conscientiae certam consolationem habeant.

Ergo promissio Gratiae non datur propter impletionem legis, seu bona opera, quæ Lex Dei flagitat, sed fide Gratis accipienda est.

DIDASCALICON.

In hoc Quinto Argumento amplissima sapientia, & Ecclesie propria, continetur.

1. De Discrimine Ecclesie & Gentium.
2. De Discrimine Legis & Euangelij.
3. De Discrimine inter promissionem Gratie & promissiones Legales.
4. De fide, quod sit assensus, quo amplectimur promissionem Euangelij.
5. De particula Gratis.

Extrui autem ex hoc ipso Argumento plura alia possunt.

VI.

Heres Mundi, hoc est, Christus in quo omnes benedicuntur, promissus est Abrahe, sine Lege.

Iusticia & hereditas uitae aeternae, seu benedictio, Abrahe promissa est propter uenturum Semen Christum, qui omnes Gentes fideles in hereditatem ab aeterno Patre accepturus erat.

Ergo etiam iustitia & hereditas uitae aeternae non datur propter Legem. Hoc Argumentum copiosius ad Galat. 3. tractatur, ubi inquit, Si ex Lege hereditas, non ex Promissione. Abrahe autem per Promissionem &c.

VII.

Hereditibus Gratis contingunt bona, iuxta
E 5 pro=

GENVS

promissionem Testatoris, non dantur propter precium aliquod.

Credentes promissioni de Christo sunt hæredes bonorum Christi, uidelicet iustitiæ & uitæ æternæ.

Ergo credentes accipiunt Gratis iustitiam et uitam æternam, non propter merita propria.

VIII.

Si propter propria Legis opera daretur promissio beneficiorum Christi, prorsus abolerentur fides & promissio, quia nemo Legi satisfacit, & fides nunquam posset confidere aut acquiescere in Lege, cui nunquam satisfacit.

Sed Promissionem & Fidem oportet manere firmam & certam.

Ergo hæreditas beneficiorum Christi non datur propter Legem.

IX. AB EFFECTIBVS.

Iusticia placat iram Dei, & reddit corda pacata, tranquilla, & læta.

Lex non placat iram Dei, non reddit corda pacata, sed reuelat, & denunciatur iram Dei, & accusat ac condemnat omnes homines propter peccatum. Vbi enim non est Lex, ibi non agnoscitur

tur

DIDASCALICON.

tur peccatum & ira Dei. Ut cap. 7. copiosius enarratur.

Ergo per Legem non contingit nobis iustitia.

X.

Omnis promissio fide accipienda est. Ideo enim editur promissio ut adsentiamur.

Iustitia & hereditas uitæ æternæ est Abrahæ & toti Ecclesiæ promissa à Deo.

Ergo fide accipienda est.

Hoc Argumento confirmationem concludit Paulus. Deinde usq; ad finem capituli Fidei naturam exemplo Abrahæ illustrat.

ARGUMENTA CAPITULI III. AD GALATAS.

I. In fine Secundi Capituli.

Iustitia coram Deo aut datur propter propria opera, seu obedientiam nostram erga Legem Dei, aut Gratis donatur propter mortem Christi, qui dilexit nos, & semetipsum tradidit pro nobis.

Sed non datur propter propria opera cum Lege Dei congruentia.

Probat

GENVS

Probatio Minoris à consequenti Absurdo. Si enim propria dignitate & operibus Iustitiam consequi possemus, Christus frustra mortuus esset.

Ergo Gratis donatur nobis Remissio peccatorum, seu iustitia propter solum Christum.

II. A CONNEXIS.

Spiritus sancti donatio semper coniuncta est cum Remissione peccatorum, seu imputatione iustitiæ.

Sed Spiritus sanctus fide tantum accipitur, non datur propter opera legis.

Ergo Iustitia seu Remissio peccatorum quoq; fide, auditum Euangelion de Christo amplectente, accipitur, non propter legem.

III. A GENERE SEU Exemplo Abrahæ,

Vna & eadem Ratio est iustificationis omnium Sanctorum omnibus temporibus.

Abraham fide iustificatus, seu iustus reputatus est coram Deo.

Ergo nos quoq; credentes Euangelio seu promissioni de Christo iusti reputamur, id est, placemus

ccmus

DIDASCALICON.

cemus Deo, & accepti sumus ad uitam eternam.

IIII.

Beatitudo, hoc est, Remissio peccatorum, liberatio à Peccato & ira Dei, reconciliatio cum Deo, & uita aeterna, promissa est Abrahæ non propter Legem aut ipsius merita, sed propter uenturum Semen Christum. Ergo benedictio Abrahæ promissa, non datur propter propria opera, sed fide est accipienda.

V. A DEFINITIONE & à contrario.

Iustificatio est Absolui à maledictione seu condemnatione aeterna, ac recipi à Deo, & benedictum esse.

Lex omnes homines condemnat, quia nemo præstat perfectam obedientiam erga Legem.

Ergo nemo hominum iustus est propter Legem.

Minorem probat ex cap. 27. Deut: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege.

Omnes autem homines non permanent in omnibus, quæ scripta sunt in Lege.

Ergo omnes homines sunt maledicti.

Iusti

GENVS
VI.

Iusticia coram Deo & uita aeterna sunt con-
nexa.

Homines fiunt haeredes uita aeternae, non pro-
pter legem, sed fide amplectente promissionem.

Ergo eodem modo fiunt iusti.

Minorem probat ex Leuit. 18. Qui fecerit
Legem, uiuet per eam.

Sed nemo integrè facit Legem.

Ergo nemo hominum fit haeres uita aeternae
per Legem. Item ex Abacuc 2. Iustus ex fide
uiuit.

VII.

Iustificari est liberari à maledictione Legis,
& benedici à Deo, & donari Spiritu sancto.

Propter solum Christum liberamur à male-
dictione legis, & benedicimur, & promissum
Spiritum accipimus per fidem.

Ergo propter solum Christum per fidem iu-
stificamur coram Deo.

VIII.

Testamentum seu promissio diuina, sine ulla
dubitatione certa, rata & immota est, in qua ni-
hil mutari, nihil adimi, aut addi debet.

Testamentum seu Promissio diuina Abrahae
facta,

DIDASCALICON.

facta, promittit benedictionem, hoc est, Remissionem peccatorum, iustitiam & uitam eternam, propter unicum Semen CHRISTVM, non propter multa semina, hoc est, non partim propter Legem, seu nostra opera, partim propter Christum.

Ergo certa, rata, immota sententia est, consequi nos benedictionem, hoc est, Remissionem peccatorum, iustitiam & uitam eternam propter unicum & solum Christum, non propter ulla alia opera aut merita.

Maiorem amplificat argumento ducto à Minori. Hominis Testamentum non licet mutare.

Ergo multò magis Dei Testamentum non licet mutare.

IX.

Quidquid propter Legem seu propria merita, uelut merces datur, id non dono datur Gratis per promissionem fide acceptam.

Hæreditas iustitiæ & uitæ æternæ donata est per promissionem fide acceptam Gratis.

Ergo iusticia & uita æterna non dantur propter Legem & propria opera.

X.

Si

GENVS

Si data esset Lex, quæ posset liberare ab æterna morte, & uitam ac consolationem efficacem afferre, uerè ex lege esset iustitia.

Sed nulla Lex unquam lata est, quæ possit homines à peccato & morte liberare, & uitam restituere.

Ergo impossibile est homines esse iustos ex Lege.

Minorem probat: Lex promittit & donat uitam æternam, omnibus qui præstant perfectam obedientiam, & sunt sine ullo peccato.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, hoc est, Scriptura sancta, Verbum, seu Lex Dei conuincit omnes homines esse Peccatores, & nequaquam satisfacere Legi Dei.

Ergo Lex nullum hominem à morte æterna liberat aut uiuificat.

Aliud Exemplum.

AN LICEAT HOMINI Christiano gerere bellum.

I. A DEFINITIONE.

Omnis defensio contra uim iniustam & atrocem, omnibus hominibus iure naturæ cõcessa est.
Legi=

DIDASCALICON.

Legitimum bellum est talis defensio, à Magi-
stratibus diuinitus ordinatis suscepta, Vt cum
Constantinus defendit pios aduersus Licinij im-
manitatem.

Ergo legitimum bellum est concessum Chri-
stianis.

II. A PARTE DE finitionis.

Omnis poenæ legitimæ executio diuinitus
mandata est Magistratui. Deut. 19. Auferas ma-
lum ex medio tui. Rom. 13. Non frustra gladium
gerit, tibi ad uindictam.

Quaedam bella sunt poenæ legitimæ.

Ergo quedam bella diuinitus mandantur, &
pijs concessa sunt.

III. A GENERE.

Omnes Politicæ ordinationes sunt concessæ
Christianis. Vt Rom. 13. & in Loco de Magistra-
tibus confirmatur.

Bellum est politica ordinatio. Rom. 13. Non
frustra gladium gerit.

Ergo est concessum pijs.

IIII. A CAUSA EFFICI- ente & finali.

Omnibus mandata est defensio & protectio
F Politicæ

GENVS

Politiarum, ut in eis uera Dei Notitia propa-
getur.

Legitima bella ad hunc summum finem refe-
runtur, ne uera Dei Notitia inter homines ex-
tinguatur. Ergo.

V. A TESTIMONIIS.

Psal. 143. Benedictus Dominus Deus meus,
qui docet manus meas ad Bellum, & digitos meos
ad praelium.

Iudicum 20. Iubet debellari Gabaonitas.

Iubet Israëlitas bello occupare terrã Canaan.
Dominus exercituum.

VI. AB EXEMPLIS.

Omnia exempla piorum, diuinitus compro-
bata, et congruentia ad Regulam, imitanda sunt,
pro cuiusq; facultate & uocatione.

Multa autem Exempla piorum militum pas-
sim leguntur. Luc. 3. Matth. 8. Actor. 10. Item
Abraham, Dauid, Iosaphat, Cyrus &c.

Ergo alijs quoq; pijs licet pro sua uocatione
legitima Bella gerere.

Postquam mediocribus exemplis illustrata
sunt generis Didascalici præcepta, hortor stu-
diosos, ut diligentissime in hoc genere exercendo
elaborent ac sciant.

I. Genus

DIDASCALICON.

I. Genus Didascalicon esse doctrinam Metho-
di, quæ in fine primi, & toto quarto libro Diale-
ctices traditur. Ideoq; Locos Dialecticos ad un-
guem ediscendos esse, ut sicut literæ ad scriben-
dum uerbum, sic illi ad causam explicandam sta-
tim occurrant. Hac enim similitudine utitur
Cicero de Oratore & in Topicis.

II. Ut earum rerum, quæ absconditæ sunt, de-
monstrato & notato loco, facilis est inuentio, sic
Loci generis Didascalici, uelut indices sunt, mon-
strantes unde sumenda sit dicendi Materia, qua
ratione, & quo ordine res propositæ sint expli-
candæ. Ut primum declaranda est significatio
uocabuli, deinde erudita Definitio Rei constitu-
enda est, faciendæ sunt Partitiones, euoluendæ
causæ, Effectus, conferenda sunt cognata seu si-
milia, & pugnantia &c.

III. Hæc Methodus, fons quidam est, unde re-
liqua dicendi genera deriuantur, hoc est, Loci,
qui in reliquis generibus causarum, Deliberati-
uo, & statu Legali, & Iurisdictionali recitantur, tan-
tum riuuli quidam sunt, deriuati ex his locis Di-
dascalici generis, quod hac de causa diligentiss-
à studiosis exercendum est, præsertim cum in so-
la hæc Philippi Rhetorica tradatur.



GENVS

IIII. Sciant Studiosi, non omnes Materias recipere omnes locos, ac sæpe satis esse in oratione, si per præcipuos, ut per definitionem, causas, effectus, materia explicetur. Per hos enim locos de natura rei propositæ tantum intelligetur, quantum perspicui potest.

V. Etsi pleraq; quæstiones cadunt in eas quæstiones quæ recitatæ sunt, tamen aliæ quedam res paulo commodius ducuntur per decem prædicamenta. Ut uocabula Angeli, Ecclesiæ, Christi. In quarundam etiam rerum explicatione commodiss: est, certum ordinem piarum & utilium quæstionum, quarum cognitio necessaria est instituire.

VI. Postremo iterum hortor Studiosos, ut diligentissime se in hac Methodica rerum explicatione exerceant. Nam ipso usu comperient ueram esse Platonis uocem, qua affirmat, Hanc Methodum Dialecticam, Dei donum esse, & immenso beneficio diuino, & maximarum utilitatum causa, Homimibus communicatam esse.

Recte ad genus Didascalicon referuntur etiam ENARRATIONES Authorum.

Sunt autem Scripta Authorum, quæ enarranda suscipiuntur, uel DIDACTICA, seu Methodo Philosophica exacte conscripta, ut Officia Ciceronis,

D I D A S C A L I C O N .

Ciceronis, Ethica Aristotelis, Epistola ad Romanos, Loci Theologici. Hæc ad Locos Generis Didascalici exigenda sunt, ut argumentum operis retextum Lectori aperiat, monstrandus in eis ordo partium, & genus sermonis Grammaticæ explicandum est.

Vel sunt scripta HISTORICA. Ut Liuius, Virgilius, Genesis, Libri Regum, Euangelia. In his enarrandis præcipue opera danda est, ut prudenter ad Locos Communes Historiæ referantur, & in sacris Historijs, ad locos Theologicos seu Euangelij proprios, In Ethnicis historijs ad locos Ethicos & Politicos dirigantur.

Quæ præterea in Historijs obseruanda sunt, infra in præceptis Generis demonstratiui monnebo.

In ORATIONIBVS Suasorijs uel alijs, præcipue monstrandi sunt, primum Status causæ seu principalis propositio. Deinde principalia Argumenta. Tertio, Membra Orationis præcipua. Quarto, Partes singulorum membrorum. Quinto, Ornamenta. Sexto, Adfectus. Septimo, Phrasæ &c.

Paraphrasticæ Enarrationes, Sententiam authoris pluribus uerbis dilucidis & crassius exponunt.

GENVS

*exponunt. Extant Erasmi Paraphrases in totum
Nouum Testamentum.*

Poëtarum Fabulae omnes uel doctrinam Ethicam seu Praecepta de moribus & de poenis scelerum, uel doctrinam Physicam, de Natura rerum, uel Historias continent, ut Metamorphosis Ouidij est Chronicon.

Sed de Ratione interpretandi sacram Scripturam, & enarrandi alios authores, dicam alibi copiosius.

DE GENERE CAUSARVM DELIBERATIVO.

HOMINES conditi sunt à Deo, ut actiones Deo gratas & hominibus salutes suscipiant.

Regendae sunt autem omnium hominum actiones, prudenti deliberatione & consilio, ut dicitur: Quidquid agas, prudenter agas, & respice finem. Et apud Herodotum libro 7. dicitur, τὸ εὖ βουλευθέν ἐπιγίγνεται, κλυτὰ τε ὡς ἐπίπαι χρεὴ ἔθελαι ἐπιγίγνεσθαι. Hoc est, Negotia bene deliberata regulariter habent exitum felicem. Et Valentinianus Imperator dicebat: Fortunam consiliorum adiutricem bonorum esse.

CUM

DELIBERATIVVM.

Cum aut in tanta caligine humanarum mentium & procliuitate ad errandum ualdè difficile sit in deliberando rectè iudicare & uerum ac prudens consilium inuenire. Primum Deus orandus est, ut sua luce ac sapientia nostras mentes in deliberatione regat & adiuuet, ut Proverb. 3. præcipitur: Habe fiduciam in Domino Deo tuo, & non innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus uijs tuis inuoca illum, & ipse diriget gressus tuos, Ne sis sapiens apud te metipsum.

Et uerissimè in Theage Platonis, Consilium dicitur, Sacra res esse, & noti sunt uersiculi:
Nullius est fœlix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; iuuetq; Deus.

Secundo. Normæ & Regulæ deliberationis, quæ in locis huius generis causarum Deliberatiui proponuntur, semper in cõspectu sint, Videlicet.
I. Honestum, h. e. Mandatum in uerbo Dei, seu lege Dei, seu lege nature. Nulla enim res tanti facièda est, ut propter eam impia seu pugnantia cum uerbo Dei & turpia faciamus. Deinde etiam in honestis actionibus eligendis discrimen inter necessaria uocationis officia, & πολυπραγμονικα retinendum est.

II. Utile.

GENVS

III. Facile & possibile. Non enim molienda sunt impossibilia, nisi peculiariter Deus mandet, & auxilium promittat, & ad assequenda possible necesse est media prudenter deligi, & instrumenta, occasiones, loca, tempora, auxilia rerum efficiendarum diligenter parare & tueri. Ex hac comonefactione apparet, quàm grauem & in omni uita publica & priuata latè patentem doctrinam hæc præcepta huius generis Deliberatiui contineant.

Deinde in quotidiana uitæ consuetudine singulis assiduè uel petitiones, uel consolationes, uel adhortationes scribendæ sunt.

Et Paulus in omnibus Concionibus Ecclesiasticis uult non solum doctrinam, sed etiam consolationem & exhortationem proponi. Ut ad Titum I. dicitur, Potens sit exhortari per doctrinam sanam & contradicentes conuincere.

I. Timoth. 4. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. I. Corinth. 14. & Actor. 13. Barnabas Antiochenos adhortatur, ut ex proposito cordis adhereant Domino. Et alibi Paulus singulis Christianis præcipit, ut sese mutuò adhortentur. Diligenter igitur studiosi in hoc genere Deliberatiuo exercendi sunt, quod fontes monstrat ex quibus tota ratio adhortandi, petendi, & consolandi nasci-

DELIBERATIVVM.

nascitur, quam, ut facilius discamus dispositiones
materiarum & locos in singulis generibus, re-
citabo.

Sunt autem sex genera materiarum, quarum
tractandarum ratio in genere Deliberatiuo mon-
stratur.

- I. Adhortatio & Dehortatio.
- II. Suasio & Dissuasio.
- III. Petitio & Precatio.
- IIII. Commendatio.
- V. Consolatio.
- VI. Admonitio.

DE ADHORTATIONE & Dehortatione.

Etsi discrimen aliquod est inter adhortatio-
nem & suasionem: Tamen cum ferè ijdem fontes
seu loci sunt, ex quibus et adhortandi & suaden-
di ratio sumitur, omiſſa subtiliori distinctione
utrumq; genus coniungemus, & sex Locos Ad-
hortationum adscribemus.

I. Causa efficiens impulsiva seu Honestum, ad
quod Mandatum Dei, seu Lex Dei uel natura, &
leges humana, & omnium uirtutum definitiones
referendæ sunt.

F 5

II. Fines

ADHORTATIO.

- II. Fines seu utilitates.
- III. Effectus seu Præmia.
- IIII. Exempla.
- V. Facile, seu facultas, seu causa efficiens Instrumentalis, quæ in occasione & circumstantijs consistit.
- VI. Iucundum seu suaue.

Exemplum.

Paulus I. Corinth. 14. & I. ad Timoth. 4. conciones Ecclesiasticas in hæc tria genera distribuit, In Doctrinam, Exhortationem, & Consolationem. Quare si concionatori Adhortatio ad quodcumq; BONVM OPVS seu quamcumq; uirtutem instituenda erit hos locos sequetur.

I. Primus est Mandatum, seu ut usitatè uocatur, Necessitas Mandati & debiti.

Est enim ordo Iustitiæ diuinæ æternus et immutabilis, ut uoluntati Dei creatura rationalis obtemperet, ut Rom. 8. dicitur, Debitorum sumus.

Econtra extremè odit & detestatur Deus mala opera seu flagitia, & scelera, quibus hic ordo uiolatur.

II. A Finibus. Primo, Quia natura humana ideo condita, & deinceps per filium Dei redempta est, ut per bona opera Deum celebret.

2. Ut

ADHORTATIO.

2. Ut retineatur fides, remissio peccatorum, hereditas uitæ æternæ. Nam per mala opera, seu peccata contra conscientiam amittitur fides, Spiritus sanctus, & uita æterna.

3. Ut uitentur poenæ præsentis & æternæ.

4. Ne exemplis nostris ledamus gloriam Dei. Matth. 5. Luceat lux uestra coram hominibus, & uideant uestra bona opera, ut glorificetur Pater uester, qui in cœlis est.

III. Effectus bonorum operum, præmia spiritualia & corporalia, in hac uita & æterna. Ut 1. Timoth. 4. dicitur, Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ.

IIII. Exempla omnium sanctorum docent Deo placere bona opera, & labentes Deo displicere.

V. A Facili, seu Auxilio Dei. Etsi magna est infirmitas nostræ naturæ pronæ ad mala opera, & accedit incitator Diabolus impellens ad flagitia: Tamen petentibus donatur Spiritus sanctus, qui opitulatur infirmitati nostræ, & in cordibus ueram agnitionem Dei, ueram inuocationem, iustitiam, & cætera bona opera inchoat. Hunc auxiliatorem petamus. Luc. II. Quânto magis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Alia Exempla.

Exempla

ADHORTATIO.

Exempla huius generis illustria sunt, Orationes Thucydidis. Altera Archidami Lacedæmonij Regis dissuadentis bellum Peloponesiacum.

Altera Periclis suadentis ciuitati Atticæ, ut bellum aduersus Lacedæmonios suscipiat.

Ab Honesto. Quia ipsi prius intulerunt bellum. Necessaria est igitur defensio. Item iustum est nos Athenienses, & nostram Rempub. & opes partas tueri.

Deinde reliqua tota Oratio in loco Facultatis uersatur, in collatione uirium, copiarum pedestrium & naualium utriusque urbis Atticæ & Spartanae.

Item in Sexto Thucydidis duæ Orationes contrariæ. Altera Niciæ, qua bellum Syculum dissuadet. Altera Alcibiadis, qua id suscipiendum suadet.

In Cicerone ad hoc genus Suasorium pertinent.

Oratio contra Seruilium Rullum, in qua dissuadetur Lex Agraria.

Et Oratio, in qua suadetur Lex Manilia de Pompeio deligendo ad bellum Mithridaticum.

(Sed ego uelim Præceptores ex Liuiio eligere exempla.)

ADHORTATIONES.

In Decadis tertiæ lib. Primo. Duæ sunt splendide Adhortationes duorum Imperatorum Scipionis & Hannibalis ad milites.

In secundo lib. Q. Fabius Maximus tradens Æmylio exercitum hortatur eum ut cunctando potius hostem frangat, quam temere confligat.

Lib. 8. Duæ contrariæ Orationes Q. Fabij Maximi, & Scipionis, de exercitu trajciendo in Africam.

Lib. 10. Hannibal Scipioni suadet, ut pacem potius faciat, quam incertum prælij euentum expectet.

Decadis quartæ lib. Quarto, duæ sunt contrariæ Orationes. Altera Marci Catonis, qua suadetur Lex oppia de stringendis cultibus matronarum.

Lib. 9. Quartæ Decadis splendida est contra Bacchanalia Oratio M. Catonis.

Exordium à Voto, seu causa ipsa ducitur, & ad Attentionis locum pertinet dubitatio, qua cause magnitudinem amplificat.

Etenim ne quid taceam, nec quatenus proloquar inuenio.

Deinde Narratio sequitur, in qua exponit, qui sunt bacchanalibus initiati. Primum mulierum magna pars est.

Cona

PETITIONES.

Confirmatio. Argumenta Dehortationis primum ab Honesto petuntur.

Leges uetustæ prohibent conuentus clandestinos. Item priuatim singuli in illis conuenticulis ignominia afficiuntur.

Deinde à Causa Finali seu ab Vtili.

Hi clandestini conuentus insidiantur Reipub. Id amplificatur à multitudine initiatorum.

Postremo exempla & leges maiorum adduntur.

Conclusio inflammat affectus.

DE PETITIONIBVS ET PRECATIONIBVS.

Præcipuus Dei cultus & præsidium in omnibus uitæ periculis firmissimum est Precatio, seu uera Inuocatio Dei, ad quam nos Deus, & seuerissimis mandatis, & dulcissimis promissionibus inuitat, Petite inquit & accipietis. Iohan. 16. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Luc. 11. Quanto magis Pater uester cælestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Vult Deus agnosci se esse fontem omnium bonorum spiritualium & corporalium, Ideo iubet ea à se peti & expectari. Diligentissimè igitur ratio

PETITIONES.

ratio petendi bona à Deo, & ab hominibus, consideranda est. Ac qui intelliget & exercebit ueram Dei inuocationem, non ignarus erit rationis, qua leuiora beneficia ab hominibus petenda sunt.

Sex autem LOCI sunt, ex quibus argumenta in petitionibus sumuntur.

- I. Causa Efficiens $\pi\rho\omicron\kappa\upsilon\delta\mu\acute{\omega}\nu$ seu uoluntas illius, à quo aliquid petitur patefacta mandatis, et promissionibus, & exemplis antecedentibus.
- II. Causa Efficiens $\pi\rho\omicron\kappa\alpha\tau\alpha\rho\upsilon\kappa\eta$ seu Obiectum externum, uidelicet nostra inopia & calamitas, quæ alterius auxilio indiget.
- III. Honestum seu Lex & Mandatum Dei.
- IIII. Possibile seu Facile, quod ad causam Instrumentalem referri potest.
- V. Fines ad quos conferre bona impetrata uolumus. Ac in petitionibus ad Deum duos precipuos fines recitamus, Gloriam Dei, & Salutem Ecclesiæ. In petitionibus ad homines directis enumeramus utilitates, quæ ex illo beneficio danti et accipienti contingunt.
- VI. A Consequentibus. Videlicet, A nostra gratitudine, qua & accepta beneficia celebrantur, & gratiam relaturi, & alios quoque inuitantur.

P E T I T I O N E S .

turi finius, ut hanc beneficentiam, quam nos ex-
perti sumus, prædicent.

Exemplum, seu Dispositio Psalmi
51. Miserere mei Deus .

Status seu Propositio Psalmi est . Peto à te
Deus, ut mihi remittas peccata, & me gubernes
Spiritu sancto tuo .

Argumenta ducuntur ex plerisque locis Peti-
tionum, qui in genere Deliberatiuo recensentur.

I. A Causa Impulsiva Interiore, quæ uolunta-
tem Dei mouet, ut agentibus pœnitentiam pec-
cata remittat. Hæc est Misericordia Dei pro-
missa propter Christum Mediatorem. Petit igitur
Dauid remissionem peccatorum, propter so-
lam misericordiam Dei in promissionibus de uen-
turo Semine patefactam, non propter sua opera,
uirtutes aut benefacta .

II. A Causa προκαταρκτικῆ seu obiecto exter-
no, hoc est, A magnitudine et atrocitate peccati,
& horribilium dolorum ac pœnarum, in quibus
ipsi pereundum sit, nisi liberetur. Huc pertinent
confusiones peccati, & querelæ. Iniquitatem
meam ego agnosco, coram te tantum sum pecca-
tor, Cum conciperer in aluo matris eram massa
peccato polluta .

Ab

P E T I T I O N E S .

III. Ab Honesto, seu Mandato & Voluntate Dei. Tibi Deus placet uera & ingenua confessio peccati, & præcipis, ut agnito peccato ad tuam Misericordiam propter Christum promissum confugiamus.

IIII. A Finibus seu Vtili. ideo peto remissionem peccatorum, ut gloria misericordie tuæ illustretur, & plures peccatores ad te conuertantur, & in omni aeternitate tibi gratias agant, & laudes tuas annuncient.

V. A Consequentibus, seu à referenda gratia. Docebo iniquos uias tuas, hoc est, uicissim tibi hanc gratiam referam, prædicabo doctrinam tuam, & celebrabo tuam misericordiam, ut plures te agnoscant, & uere colant. Hac occasione doctrinam de ueris cultibus, & discrimine Sacrificiorum ceremonialium, & Sacrificiorum laudis in fine attexit.

Aliud Exemplum.

Adolescens aliquamdiu in Academia uersatus, petit à Patre, ut sumptus studiorum necessarios æquo animo ferat, & diutius suppeditet.

Exordium.

Epaminondam aiunt parta uictoria Leuctrica dixisse, Se omnium laborum fructum hunc
G maximum

P E T I T I O N E S .

maximū capere, quod parentes suæ gloriæ spectatores haberet. Hac uoce ex intimo sensu naturæ optimæ prolata monet, omnem nostram uitam eō referendam esse, ut parentibus probetur.

Ratio.

Nihil enim iustius est, quam ad eorum uoluntatem omnes actiones dirigere, à quibus uitam, & honestam uiuendi rationem accepimus.

Conclusio Exordij.

Itaq; cum à te Pater Charissime in Academiam missus sim, omni contentiōe ingenij perficere conabor, ut mea tibi studia, & mei mores placeant.

Propositio.

Ac peto à te, ut æquo animo mihi sumptus, ad colenda doctrinæ cœlestis, & aliarum artium studia necessarios suppedites.

Confirmatio ex Locis petitionum.

I. A Causa Impulsua interiore, quæ est uoluntas eius à quo aliquid petitur. Nota est mihi paterna sollicitudo tua, qua inflammatus, constituisti non solum corporis mei uitam fouere & ornare, Sed etiam mentem pietate, doctrina & uirtute expolire. Ideoq; tuam opem paternam benignissimè

PETITIONES.

simè mihi promisisti, & hactenus me liberaliter sustentasti.

II. Ab Obiecto externo. Nunc autem tanta est in hac urbe caritas annonæ, tanta difficultas hospitum, tanta multorum hominum illiteratorum erga Studiosos inhumanitas, ut neq; ad momentum temporis, hic mihi manendi facultas sit, nisi pecuniam in promptu habeam.

III. Ab Honesto. Intelligis autem patri honestissimum esse, ut filio opem ferat, præsertim, in doctrinarum studijs uersanti, quorum summa honestas est. Nam agnitio Dei, studium uirtutis, Ecclesia, Respub. leges, forum, iudicia, Deniq; tota uita priuata & publica literis ac doctrina regitur, ac conseruatur.

Aliud ex eodem fonte.

Deus ideo dedit pecuniam parentibus, ut curent liberos honestè educari, & erudiri ad agnitionem Dei, & studia uirtutis, & ad gubernationem preparari.

IIII. A Facultate. In hac rei familiaris mediocritate, potes mihi opitulari, nec moueri deberes, etiamsi res familiaris, tibi imminueretur. Nec ullum amplius patrimonium tuis liberis relinquere potes, quam doctrinam & uirtutem.

PETITIONES.

V. A Finibus seu Vtili. Hæc tua pietas & liberalitas pariet immensas utilitates.

Primum Ecclesiæ Dei, & Reipub. quam aliquandò mea uoce, consilio, & diligentia iuuabo.

Secundo tibi, matri & toti familiæ nostræ, mea doctrina & uirtus poterit usui & ornamento esse.

Tertio. Deus abundè hanc tuam beneficentiam compensabit.

VI. A consequentibus, seu à referenda gratia, Ego Epaminondæ uocem statuum mihi uitæ legem esse, & curabo, ut mea studia, consilia, & actiones, in omni uita parentibus gratae sint.

Conclusio.

Quare cum sciam, te patrem summo amore mei flagrare, cum tanta sit hic annonæ caritas, cum honestissimum sit patri liberos in studijs literarum, quarum summa dignitas est, fouere, cum facile possis mihi opem ferre, & tua beneficentia tibi ipsi, & alijs utilis futura sit, peto à te, ut equo animo sumptus feras, eosq; diutius mihi suppedites.

DE COMMENDATIONIBVS.

Com=

COMMENDATIONES.

Commendationes partim ad genus Demonstratiuum, partim ad Deliberatiuum pertinent.

Omniū enim Commendationum duæ sunt partes. Prior est Laudatio personæ, quam commendamus, petita ex locis personarum generis Demonstratiui, & præcipuè à Moribus, à modestia, à pietate, humanitate, fide, industria, & cæteris uirtutibus. Item ab ingenio, à doctrina, à prudentia, à rebus gestis, à Natalibus seu parentibus, ab amicicia, quæ ipsi nobiscum, uel cum alijs bonis, qui nobis coniuncti sunt, intercedit, in quo loco uenustissimè usurpari potest, hoc Plutarchi dictum, εἰ κοινὰ τὰ φίλων, μάλιστα δὲ κοινούσιν ἢ φίλων εἶναι τοῖς φίλοις. Hoc est, Si amicorum omnia communia sunt, maximè oportet amicis, communes esse amicos.

Cauendum est autem in hac prima parte commendationis, ne laudibus nimium amplis, commendatum oneremus potius, quam ornemus. Nam ut in Oreste dicitur: ἄρα καὶ τῶν δὲ βίῃσιν ἀνεῖδος λεία. Onus est nimium laudari.

Cauendum est item, ne homines improbos falso laudemus, iuxta præceptum Horatij lib. I. Episto. ad Lollium.

COMMENDATIONES.

Qualē commendes etiā atq; etiā adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Posterior pars commendationis est Petitio,
ut is ad quem scribimus nostra etiam causa com=
mendatum in suam fidem, amicitiam, ac patro=
cinium accipiat.

In hac parte omnibus locis petitionum, pro
rerum diuersitate, quæ tractantur, breuiter uti
licet. Ab Honesto, Ab utili, A facili, A gratitudi=
ne nostra, & eius quem commendamus.

Aliās autem personæ tantum commendantur,
Aliās certa negocia, ad quorum uarietatem lo=
cos accommodare mediocris prudentiæ & usus
est.

Illustria exempla Commendationum, suppe=
ditat totus liber XIII. Epistolarum Ciceronis, in
quo 80. Epistolæ, in hoc genere, coaceruatæ sunt.

DE CONSOLATIO= NIBVS.

Pium & necessarium in communi uita offi=
cium est, consolatione dolorem amicorum cala=
mitosorum leuare. Et in Ecclesia singulis Deus
præcipit, ut afflictos, & in doloribus uersantes
consolentur, ut I. Thess. 4. dicitur, Consolamini
uos

CONSOLATIONES.

uos mutuo. Item 1. Timoth. 5. Consolamini pusillamimes. Et 1. Corinht. 14. Paulus omnes conciones in Ecclesia uult ad istos tres fines referri, ut auditores doceantur, Exhortatione ad studium bonorum operum inflammentur, & Consolatione in doloribus ortis ex sensu peccati, iræ Dei, & pœnarum sustententur.

Hæc consolatio totius Euanglij præcipuus locus est. Ideoq; Roma. 15. inter cæteros sacræ scripturæ effectus, hic quoq; describitur, ut per Patientiam & Consolationem Scripturarum spem habeamus.

Priusquam autem ueræ & Christianæ consolationis fontes aperiam breuiter PHILOSOPHICARVM CONSOLATIONVM LOCOS recitabo, ut studiosi cernant, ad quas normas Cicero- nis, & aliorum Ethnicorum Epistolæ, & alia in hoc genere scripta congruant.

Sint igitur in conspectu SEPTEM LOCI, ex quibus omnis ratio consolandi apud Ethnicos sumitur, qui ad Dialecticos locos Causæ Efficientis, Finium, & Exemplorum referri possunt.

1. NECESSITAS ferendi mala, quæ dolendo mutari non possunt, Vt in Philoçete Sophocles ait, Ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δ' οὐδὲν ἔξ ἀναγκᾶς φέρειν. Homines necesse est ferre

G 4 fortuna

CONSOLATIONES.

fortunam, quæ à Deo imponitur. Sic apud Homerum Achilles Priamum consolatur.

Ὅυ γὰρ τις πρῆξις πέλεται κρυζοῖο γόοιο,
ὡς γὰρ ἔπεκλώσαντο θεοὶ δαίλοισι βροτοῖσι
ζῶειν ἄχνη μύσει. h. e. *Nulla utilitas est tristis luctus. Nā Dei fato ita conclusum est, ut homines miseri in doloribus uiuant. Cum igitur mutare factum non possumus, non indulgeamus dolori & indignationi, ne duplicemus malum.*

II. *DIGNITAS VIRTUTIS, quæ propter dolores, ac ærumnas nequaquam uiolanda est.*

Coriolanus non uiolet pietatem debitam patriæ propter iniustam expulsionem ex urbe.

Brutus non succumbat dolori, ut faciat contra iustitiam semetipsum interficiens.

Cicero & Demosthenes non uiolent modestiam & grauitatem Sapientibus uiris conuenientem, cum in exilio adeo muliebriter lamentantur.

Hoc loco utitur Cicero in primo Epistolarum ad Lentulum. Tuæ sapiētiae, magnitudinisq; animi est, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in uirtute, atq; in rebus gestis tuis, atq; in tua grauitate positam existimare, si quid ex ijs rebus, quas tibi fortuna largita est, nonnullorum

rum

CONSOLATIONES.

rum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis
fraudi, quam tibi futurum.

III. BONA CONSCIENTIA, quæ maxima con-
solatio est rerum incommodarum, Vt Cicero lib.
6. Epistolarum aliquoties inquit, & dulcissimum
est Nazianzeni dictum:

οὐδὲρ οὕτως εὐφραίνετ ἡμᾶς εἰωθερ, ὡς τὸ
σωαδὸς καθαρὸρ, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί, hoc est,
Nihil ita nos exhilarare solet, sicut conscientia
pura, & bonæ spes.

IIII. EXEMPLA totius generis humani,
quod ærumnis oppressum est. Leuat autem do-
lorem communis quasi legis, & humanæ condi-
tionis recordatio, ut inquit Cicero.

V. Cause finales seu UTILITATES. παθήματα
μαθήματα. Quæ nocent, docent.

VI. COLLATIO EVENTVVM, ut cum scri-
bimus eas esse calamitates temporum, ut melius
sit mori, quam uiuere.

VII. SPES LIBERATIONIS. Quia omnium
rerum uicissitudo est, sicut Corydon apud Theo-
critum consolatur Battum.

Fidere Batte decet, melius cras forsitan habebis.

Sperandum est uiuis, non est spes ulla sepultis.

Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere surgit.

Perfectum Philosophicæ consolationis exem-

CONSOLATIONES.

*plum est Carmentæ Oratio, ad Filium Euandrum
exulem, in primo Fastorum Cuidij.*

*Fortiter exilium ferre memento tuum.
Sic erat in fatis, nec te tua culpa fugauit,
Sed Deus, offenso pulsus es urbe Deo.
Nec meriti pœnam pateris, sed numinis iram,
Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens, ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.
Nec tamen ut primus meres mala talia passus,
Obruit ingentes ista procella uiros.
Passus idem Tyrijs, qui quondam pulsus ab oris,
Cadmus in Aonia constitit exul humo.
Passus idem Tydeus, & idem Pegaseus Iason,
Et quos prætereà longa referre mora est.
Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut uolucris uacuo quidquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno,
Et tibi (crede mihi) tempora ueris erunt.*

*Ex his fontibus ferè omnia consolationum Ar
gumenta in Ciceronis Epistolis sumuntur. Ut 44.
45. 46. 72. 73. ad Sextium 77. 78. ad Torqua: 79.
80. 81. 82. 83. ad Cæcinnam & c.*

CHRISTIANÆ CONSOLATIO
NIS FONTES præcipui, non incommode in
tres

CONSOLATIONES.

tres locos Generis Deliberatiui, Ab Honesto, Ab Utile, A Facili possunt distribui.

Ad locum AB HONESTO pertinent.

I. CAUSA EFFICIENS ærumnarum, quæ non casu accidunt, sed Deo sciente, & uolente, ut Matth. 10. dicitur, Ne passeris quidem uitam amittere sine uoluntate Dei.

II. NECESSITAS OBEDIENDI DEO, qui cum suo consilio, uel iustis pœnis nos premat, uel ærumnis exerceat, non est eius sapientiæ & iustitiæ repugnandum, Vt I. Pet. 5. dicitur. Humiliamini sub potenti manu Dei.

III. DIGNITAS VIRTUTIS seu fidei in Deum, & confessionis anteferendæ omnibus rebus secundis uel aduersis, Propter ærumnas nemo deficiat à Deo, nemo abiiciat fidem, dubitans de prouidentia & uoluntate Dei &c.

IIII. Possunt huc & EXEMPLA referri, cum Christus, Abel, Esaias, Baptista, Apostoli, Martyres, & omnes Sancti ingentes ærumnas sustinuerint, non est iniustum similia onera ferre, nec existimemus nos à Deo abiectos esse, si similia patiamur.

Ad locum ab UTILI pertinent.

I. FINES seu UTILITATES ærumnarum.

Nequaquam ideo premimur à Deo calamitatibus,

CONSOLATIONES.

tatibus, ut perdamur, sed ut nobis benè sit, sicut iureiurando Deus affirmat, dicens, Viuo ego, nolo mortem peccatoris. Item, Bonum mihi Domine quod humiliasti me.

II. Cum in rebus secundis Timor Dei, Fides, Inuocatio, Humilitas, Pacientia, & ceteræ uirtutes fiant languidiores, & paulatim prorsus extinguantur, exercet nos Deus ærumnis, ut hæ uirtutes exuscitentur & crescant.

III. Ut peccatum in nobis per crucem paulatim aboleatur & mortificetur.

IIII. Ut caueamus futuros lapsus.

V. Ut Afflictiones sint testimonia immortalitatis piorum. Impossibile enim est præstantissimam partem generis humani tantum ad huius uite miserias conditam esse.

VI. Ut sint Testimonia doctrinæ, & sint occasiones diligentius discendæ, & intelligendæ ueræ de Deo doctrinæ, ut Psal. 118. dicitur: Bonum mihi, quod afflixisti me, ut discerem Iustificaciones tuas.

VII. Ut efficiamur similes imaginis filij Dei.

VIII. Ampliissima præmia patientiæ in ærumnis, quæ in principio Cap. 5. in Mattheo promittuntur. Item Rom. 8. Glorificabimur cum Christo, si una cum eo patiemur. 2. Corinht. 4. Momenta

CONSOLATIONES.

mentanea leuitas afflictionis, aeternum pondus gloriae affert.

IX. *Et praecipua consolatio, in omnibus doloribus & aerumnis, est letissimus Finis & Portus uitae aeternae, in quo pii liberati ex omnibus miserijs suauissimè recreabuntur, & fruenter consuetudine, conspectu, & sapientia Dei, aeterna luce, iusticia & uita fruuntur. Hunc finem uelut praecipuam consolationem proponit Paulus 1. Thess. 5. addens, Consolamini uos mutuo sermonibus istis.*

Ad locum A FACILI pertinent.

Promissiones praesentiae Dei, & auxilij diuini corroborantis corda in aerumnis, ut perferre onus possint. Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus qui non sinit nos tentare supra uires & c.

Item Promissiones mitigationis poenarum, & certae liberationis, uel in hac uita, uel aeterna. Haec generalis forma est consolationum in Ecclesia.

Cum autem diuersa sint genera calamitatum prudenter considerandum est, qui loci, in quibus materijs dominantur.

IN

CONSOLATIONES.

In obitu amicorum, ut parentum, liberorum, coniugum &c. hoc ordine consolatio institui solet.

Exordium ducitur ab Affectu.

Insevit Deus humanis mentibus σοφῶς, quæ parentum & natorum animos, inter se æterno amore et foedere copularent.

Quare pium est, te propter carissimi patris interitum desiderio & dolore affici.

Ac ut in bonis naturis σοφῶς sunt expressissima ita non dubito has ipsas σοφῶς tibi mœstiam augere.

Plurimas enim, & grauissimas doloris ac desiderij causas habes.

Hic enumerantur præcipua ornamenta defuncti, & addatur nostri luctus significatio, quo impediamur, ut non nisi lachrymarum societate uulneri ipsius mederi possimus. Sed tamen ut cunq; nos hac cogitatione sustentari.

1. Non casu nasci & extinguere homines.

2. Deo uocanti nos ex hac statione parendum esse.

3. Omnes

CONSOLATIONES.

3. Omnes qui hinc discedunt prælucēte fiducia & inuocatione Filij Dei, ad æternam Dei & Ecclesiæ cœlestis consuetudinem euocari.

Quare frui nunc eum conspectu, sermonibus & sapientia Dei, & filij Dei, Prophetarum & Apostolorum, in hoc sodalitiō paulo post rursus eum complecteris &c.

Consolatio opponenda PAUPERTATI.

Vulgare onus est Paupertas, Scholasticis præcipuè, & alijs pijs ac honestis hominibus, ut de Ecclesia inquit Deus apud Sophoniam. Reliqui mihi in medio uestri, populum pauperem & egenum sperantem in nomine meo.

Et apud Platonem Socrates inquit, Ἐν πενίᾳ μυσία εἶμι διὰ τὸ τῷ θεῷ λαθεῖν.

Etsi autem optima et maximè grata consolatio pauperum esse uidetur, dare pecuniam, & liberalitate sua aliorum inopiam leuare: Tamen cum Potentes & diuites, qui adhibere hoc remedium paupertati possent, plerumq; cæteris inhumaniores & sordidiores sint, & miseros pauperes ferè crudelius expilent, & fame necēt: Tenendæ sunt aliæ ueræ & firmæ consolationes,
qua

CONSOLATIONES.

quæ animos propter inopiam abiectos & consternatos erigant & confirmant.

Ab Honesto seu à Causa Efficiente.

I. Reg. 2. Dominus Pauperem facit & Diuitem. Cum igitur Paupertas non casu, nec nostra tantum culpa, sed Dei uoluntate & consilio nobis accidat: honestum est nos Dei sapientiæ obtemperare, & placidè ferre paupertatem. μακάριον δὲ ὄσιν αἰετ' εἶναι, ut ait Hesiodus.

Deinde cum summa lumina Ecclesiæ Dei, & reliqui generis humani, ut Christus, Prophetae, Apostoli, Socrates, Aristides, Phocion, Fabricius & alij in summa paupertate uixerint, non inhonestum nobis est, idem onus commune cum tam multis præstantibus uiris moderatè ferre.

Ab Utili.

Utilitates paupertatis decem nuper recitauimus.

I. Ut Timor Dei & pœnitentia in nobis excusetur & crescat. Nam diuites pleriq; sunt securi, nec afficiuntur sensu iræ Dei.

II. Fides & Inuocatio agnoscens, petens & expectans præsentiam & auxilium Dei, fit ardentior.

Esai. 26. Domine in angustia clamant ad te.

III. Xenos

CONSOLATIONES.

III. Xenophon ait, Multo difficilius esse diuitias rectè ferre, quam paupertatem. Quia diuitiæ in plerisque superbiam & insolentiam pariunt, paupertas uero in plerisque Modestiam efficiat.

IIII. Paupertas est Inuentrix Artium. Vt inter Scholasticos uidemus Pauperes maiori sedulitate & diligentia facere labores suæ uocationis, quam diuites, qui ocio, ignauia, heluationi plerumque indulgent.

V. Paupertas bonorum, est Testimonium immortalitatis & uitæ aeternæ. Cum enim tota rerum natura propter pios condita sit, & conseruetur, necesse est aliam uitam restare, in qua bonis, ad quæ conditi sunt, fruuntur.

VI. Est Testimonium Confessionis & Doctrinæ.

VII. In paupertate Pij cernunt se ali & defendi non suis consilijs & præsijs, sed à solo Deo. Deut. 8: Adflixit te Dominus penuria, & dedit tibi cibum Manna, ut ostenderet tibi, Quod non in solo pane uiuat Homo, sed in omni Verbo, quod egreditur de ore Domini.

VIII. Oportet pios fieri conformes imaginis Filij Dei, qui non habuit ubi caput suum reclinaret.

CONSOLATIONES.

IX. In paupertate discimus obediendum esse Deo, non nostrorum commodorum causa, sed propter solam gloriam Dei.

X. Beati pauperes Spiritu, Quia talium est regnum caelorum.

A Facili.

Spiritus sanctus adiuuat & corroborat corda, & dat cum tentatione mitigationem & exitum, ut paupertatis onus perferre possimus. Psal. 9. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Esa. 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperem & contritum spiritu.

Psal. 69. Videant pauperes & letentur, quoniam exaudiuit pauperes Dominus.

CONSOLATIONES OPPONENDÆ MORBIS ferè ex iisdem fontibus sumuntur.

In MORTE efficacissima consolatio est hæc promissio resurrectione Filij Dei confirmata. Iohan. 11. Ego sum resurrectio & uita, Qui credit in me, mortem non uidebit in æternum, & etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Item, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Beati

CONSOLATIONES.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

In EXILIO piorum consolatione leuando, ualde tempestiue hæc oratio cæteris consolationibus adiungi potest. Semper Exilia Ecclesie Dei, & pijs usitata fuisse, ut commonescerent de primo exilio generis humani ex Paradiso, & de filio Dei, qui factus est exul pro nobis, ut nos exules in cœlestem patriam reduceret.

DE GENERE CAUSARUM Demonstratiuo, quod monstrat rationem laudandi & uituperandi, & scribendæ Historiæ.

Vult Deus uera & ornata laudatione, tum rectè ac honestè facta, tum personas uirtute ac rebus gestis illustres celebrari, propter Quatuor causas.

Primum enim uult Laude & uituperio discerni honestos & inhonestos, ut ipsum Deum agnoscamus honestum, bonum, iustum, uirtutis amantem esse, & horribiliter odisse ac punire sceleratos.

Secundo. Deus uult laude & gloria tanquam debito premio uirtutem & rectè facientes orna-

L A V D A T I O

ri. Nullam enim uirtus aliam mercedem laborū periculorumq; desiderat, præter hanc laudis & gloriae, ut Cicero inquit.

Est autem uera Gloria, Dei & propriæ conscientie rectè iudicantis, & aliorum honorum et rectè iudicantium celebratio, semper comitans uirtutem & rectè facta.

Tertio. Vult Deus honorifica prædicatione honestorum, alios quoq; ad Amorem uirtutis & ad imitationem rectè factorum inuitari.

Quarto. In omnibus bonis mentibus studium rectè agendi, & benè merendi de alijs inflammatur approbatione & laude, ut dicitur: Laudatāq; uirtus Crescit, & immensum gloria calcar habet. Item.

Ἄλκιμ' ὅς' ἵνα ἕσ σε καὶ ὀψιγόνωρ ἔυ εἶπη.

Hisce etiam causis moueamur, ut diligentius præcepta huius generis causarum, quæ fontes laudationum ostendunt, discamus.

Sunt autem tres Classes Materiæ Generis Demonstratiui.

Aut enim PERSONÆ laudantur.

Aut RES.

Aut FACTA.

PER=

PERSONARVM.
 PERSONARVM LAV-
 datio ad hosce decem LOCOS, ferè
 accommodari solet, qui in Dialectica
 recensentur, ex quibus præci-
 pui sunt, Mores, & Res
 Gestæ cum genere
 uitæ congruen-
 tes.

I. PATRIA, Vt Athenæ apud Thucydidem
 Ἑλλάδος πατρίσιν εἶναι dicuntur.

Cum Scriphius quidam Themistocli objice-
 ret, quod non sua uirtute, sed propter celebra-
 tem Patriæ inclaruisset respondit. οὐτ' ἄρ' ἐγὼ
 Σοφίᾳ ὡρ ἐγγυόμην ἐνδοξῶ, οὐτὲ σὺ
 Ἀθηναίῳ.

II. SEXVS. Aliæ enim Virtutes in Fœmineo
 Sexu, Aliæ in Viris laudem merentur.

Γωακί γὰρ σιγή τε καὶ δῖσω φρονεῖν
 κάλλισον, εἰσὼ δ' ἡσυχον μάλιστα δόμων.

Hoc est,

Nam fœminæ silentium & modestia,
 Pulcherrimum est decus, & manere suæ domi,
 ut ait Euripides.

Et Homerus ἰλ: 3.

H 3

Ἄλλ'

L A V D A T I O

Ἄλλ' εἰς οἰκορίδ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε
 ἰσόντ' ἠλακάτην τε καὶ ἀμειπόλοισι κέλευε
 ἔργον ἐπίχευ, πόλεμ' δ' ἄνδρεσι μελήσει.
 Et odysβ: α. λόγ' δ' ἄνδρεσι μελήσει.

Sic et Paulus in Epistolis Mulierum et Virorum officia discernit.

III. NATALES seu PARENTES, quos si illustres et uirtute praestantes aliquis habet, speciosè et uerè dicitur Semina uirtutum à parentibus in liberos propagari, ut Pindarus ait 8. Oda Pythiorum, φύξ τὸ γενναῖον ἐκπρεπει, ἐκ πατέρων παισὶ λῆμα. Hoc est, Natura generositas excellit, et inest natis uirtus parentum.

Econtra ex Obscuris parentibus orto, honorificum est uirtute suis maioribus praelucere, et posteris initium esse Nobilitatis. Sic Aristotelis inquit: ἐν γέγονασι πάντες οἱ πρὸς ἐν πεφυκότες. Et de Spurijs Euripides inquit.

Νοδοὶ δὲ πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες, cuius sententiae exemplum illustre est Themistocles ille, cuius Patrem ignotum fuisse Plutarchus scribit. Et de doctissimis quibusdam uiris, qui superiori seculo floruerunt, idem refertur.

EDV^a

PERSONARVM.

IIII. EDUCATIO duos Locos complectitur, Indolem, & παιδείαν, hoc est, Institutionem studiorum, & adsuefactionem morum primæ ætatis. Vt in Alexandro Magno, in primâ iuuentute statim exeruit se τὸ μεγαλόψυχον, καὶ εὐλόουμον.

M:Antoninum Imperatorem studium Philosophiæ reddidit serium, & grauem mixta comitate, ut Capitolinus refert.

V. Et præcipuus Locus Laudationum, sunt MORES seu VIRTUTES uniuscuiusq; generi uitæ congruentes. Vt in Alexandro Magno fuit eximia sagacitas Ingenij & Sapientia, Celsitudo Animi, Fortitudo bellica, iustitia in iure dicendo, Temperantia, Continentia, Candor, Comitatus, Liberalitas &c.

VI. VITÆ GENVS. Sunt autem Quatuor præcipua uitæ genera à Deo ordinata.

I. ECCLESIASTICVM, quod gubernant Doctores Ecclesiæ, in quibus præcipuè laudantur PIETAS, Inuocatio assidua & Ardens, Doctrina, Fidelitas in docendo & refutandis hæreticis, Moderatio, Zelus, Constância in Confessione &c. I. Cor. 4. Hoc requiritur in Ministro, ut

H 4

fidelis

L A V D A T I O N E S

fidelis sit. 1. *Timoth. 4.* Typus esto fidelium, in doctrina, integritate morum, Dilectione, Spiritu, Fide, Castitate.

2. **POLITICVM**, in quo duas dotes præcipuè eminare dicit apud Thucydidem Pericles, videlicet, γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἐρμῶνευσαι τὰς τὰ, seu Σωεσιη πλιυκῶ, καὶ δῶαμη ἐρμῶδλυκῶ, hoc est, Sapientiam Politicam & Eloquentiam. His adiungantur, Iustitia, Moderatio Animi, Diligentia in dicendo iure, Severitas in puniendis sceleratis, Clementia in seruandis sanabilibus, Fortitudo in tolerandis vulgi erratis & iniurijs, Constantia in Consilijs Reipub. salutaribus, Industria in rebus agendis.

3. **PHILOSOPHICVM** seu **SCHOLASTICVM**, in quo præcipuè laudem meretur, Amor Veritatis, Cupiditas discendi, Diligētia, et Fidelitas in conseruandis & propagandis artibus vitæ utilibus, Fortitudo quæ non frangatur contemptu, inopia, Ingratitudine vulgi &c.

4. **OECONOMICVM**, de quo crebra extant commonefactiones in Epistolis Pauli.

VII. **RES GESTÆ** congruentes cum genere vitæ, seu uirtutibus conuenientibus singulis vitæ Generibus.

EVEN=

PERSONARVM.

VIII. *EVENTVS seu FELICITAS in rebus gerendis, & præmia rerum gestarum.*

IX. *ÆTAS.* Alia enim aliarum ætatum propria officia sunt, de quibus Cicero præcipit.

Et paciens operum, paruoq; adsueta iuuentus, inquit Virgilius.

Senes consilio, & prudentia alios iuuent. Ut dicitur: Consilio, Senis hæ sunt partes, bella iuuabo.

Homerus ιλ: 3.

*Αἰεὶ δ' ὀπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠδ' ἔθοντες
οἷς δὲ γέρον μετέκσι ἅμα πρῶσσω καὶ ὀπίσσω
Δεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γήνηται.
Hoc est, Semper iuuenum mentes pendent, Qui
bus autem Senex interest, is simul ante & retro
uidet, ut rectissimè omnia conficiantur.*

Huc pertinet Versus.

*Ἔργα νέων, βδλαὶ ἢ μέσων, εὐχαΐδ' ε γέροντων.
Consule Vir, fac uota senex, iuuenisq; labora.*

X. *MORS.* Laudantur Mortes Imperatorie. Nam pro patria magnum decus est profunderè uitam.

Sed multo maius decus est pro Christo profunderè uitam, Ut scriptum est: Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Item, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

H⁵

Hactè=

L A V D A T I O N E S .

Haecenus Locos, qui uiam ac ordinem describendi historias clarorum hominum monstrant, recensuimus, Nunc exempla aliquot illustria indicabimus.

E X E M P L A .

Accommodatissimum Exemplum Demonstrationis personarum est VITA CHRISTI in Euangelio Lucae descripta, in qua aptissimo ordine recitantur. CHRISTI Patria, Parentes, Conceptio & Natiuitas, Educatio seu historia iuuentutis, Ordinatio ad Genus uitae Ecclesiasticum, Res gestae, uidelicet Doctrina seu Conciones & Miracula, Exitus uitae seu PASSIO, Mors & Sepultura, Resurrectio ex morte, & Ascensio in Coelum.

Plutarchus ingentem Thesaurum selectissimarum rerum, quae Persicae & Graecae Monarchiae temporibus contigerunt, collegit in opere, cui Titulus est $\pi\epsilon\acute{\rho}\alpha\lambda\lambda\eta\lambda\alpha$, seu Vita Illustrium Virorum, in quibus historiam prorsus ad hos Personarum Locos accommodat, describens primum Patriam & Parentes, Deinde Indolem, Educationem & primae aetatis studia. Postea Res gestas in Republica & priuatim, ex quibus uirtutum insignium decora elucent. Postremo Exitum uitae, & ea, quae Mortem proximè consecuta sunt.

P E R S O N A R V M.

Sunt. Legantur igitur à Studiosis aliqua Insigniores ipsius uitæ. Vt Alexandri Magni, Themistoclis, Pelopidæ, Ciceronis, Cæsaris, Pompeij &c.

Illustria etiam Exempla Laudationis Personarum sunt Philippi Orationes de S. Ambrosio, Augustino, Basilio, Platone, Aristotele, Galeno, Friderico Barbarossa, & cæteræ, quas in Secundum Tomum Declamationum Gerbelius digessit.

In Laudationibus SANCTORVM, & præcipuè Doctorum Ecclesiæ, hos sex Locos præcipuè sequuntur.

- I. Diuina conseruatio Ecclesiæ, & uocatio Doctorum & Instauratorum Doctrinæ. Ephe. 4.
- II. Doctrina de singulis Articulis fidei, De Legge, & de Euangelio.
- III. Miracula, & mirandæ Liberationes.
- IIII. Res gestæ, Consilia, Scripta &c.
- V. Virtutes singulis imitandæ pro cuiusq; loco & uocatione, ac imprimis Theologicæ uirtutes, ut Exercitia fidei, Inuocationis, studiorum doctrinæ, fidelitatis, Constantiæ in Confessione.
- VI. Exitus uitæ.

Hos Locos sequuntur Orationes Philippi de Paulo Apostolo. Item Recitata in funere Lutheri. Nam Vita Lutheri, quæ in Præfatione secundi Tomi

L A V D A T I O N E S
Tomi operum Lutheri descripta est, ad priorum
Locorum seriem congruit.

DE IOHANNNE BA-
PTISTA.

Exordium.

Prodest laudationes Sanctorum proponi, ut
discamus, 1. Quid sit Ecclesia. 2. Quomodo Deus
subinde miserit instauratores. 3. Quomodo re-
gatur Ecclesia. 4. Et ut Deo pro his beneficijs
gratias agamus. 5. Ut discamus quæ fuerit San-
ctorum doctrina. 6. Et confirmemur ipsorum Te-
stimonijs & Exemplis.

Propositio.

Quare IOHANNIS BAPTISTÆ histori-
am recitabo.

I. Patria.

Patria Iohannis fuit Ierosolyma, aut subur-
bium uicinum, uidelicet, Sedes ueræ Ecclesiæ
Dei.

II.

Parentes Zacharias et Elizabeth: Erant an-
te iusti coram Deo, & perfecti, in omnibus præ-
ceptis Domini. Natiuitas fuit insignis miraculis,
præ-

P E R S O N A R V M.

prædicta ab Angelo, facta ex anu effata & sterili, patri muto restituta uox, ipse agnoscit Christum gestatus in aluo. Hæc ideo edita sunt, ut redderent eum illustriorem, & eius doctrinam commendarent.

III. Educatio.

Non dubium est eum diligenter ab utroq; parente ad doctrinam Religionis, & omnia pietatis officia institutum fuisse.

III. Vitæ Genus.

Vocatus est singulari modo ad instaurationem doctrinæ Religionis.

V. Res gestæ.

Inchoauit Ministerium noui Testamenti, Monstrauit Christum exhibitum digito, instituit Baptismum, Aboleuit Circumcisionem, & Legem Mosaicam, Taxauit errores Pharisaicos, Illustrauit ueram doctrinam.

VI. Doctrina.

Docuit de omnibus Articulis Symboli, De Deo, De Tribus Personis distinctis, De Persona & Officio Christi, De Pœnitentia, De Remissione Peccatorum danda propter CHRISTVM, De Fide, De Vita æterna, De Bonis operibus, De Baptismo, De Sacrificijs Mosaicis, De Ecclesia, De
Discri

L A V D A T I O N E S

Discrimine Legis & Euangelij, De Vita Politica, De Coniugio, De omnibus hisce Articulis illustra testimonia extant in Concionibus Iohannis Baptistæ. Matth. 3. Iohan. 1. 3. Luc. 1. 3. 7. & c. Hic ostendatur discrimen doctrinæ Pharisaicæ, Philosophicæ & Baptisticæ.

VII. Miracula.

Est ei exhibitum clarissimum Testimonium de Personis diuinitatis in Baptismo CHRISTI.

VIII. Virtutes.

Pietas, Constantia in Confessione, Humilitas, Sedulitas, Continentia, Temperantia, imitandæ pro cuiusq; uocatione.

IX.

Exitus Vitæ seu Mors Iohannis Baptistæ est illustre Μαρτύριον, seu Testimonium de Immortalitate & secuturo iudicio.

DE HENRICO LEONE, ne, Duce Saxonix & Ba- uarix.

Exordium.

Honestum & Deo gratum est conseruare historias clarorum Principum, qui Ecclesiam Christi propagarunt & defenderunt.

Pro=

PERSONARVM.

Propositio.

Quare recitabo historiam HENRICI LEONIS, qui ante annos 400. hanc Megapolensem ditionem ad ueram Euangelij doctrinam amplectendam adduxit.

I. Natales seu Parentes.

Pater fuit Henricus Dux Bauariae, ortus ex celeberrimo stemmate Guelforum, quorum Praecipua fuit celebritas in Germania iam annis 700.

Mater fuit Gerdrudis, filia Laudatissimi Imperatoris Lotharij Ducis Saxoniae.

Fortes creantur fortibus & bonis, Est in iuuenicis, est in equis patrum uirtus, ut inquit Horatius.

II. Educatio.

Et parentum uirtus, & ipsius Leonis res gestae demonstrant eum domestica adsuefactione ad amorem Religionis Christianae, ad uirtutem, & gloriam militarem institutum esse.

III. Genus Vitae.

Fuit Dux Saxoniae & Bauariae.

Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατοροστὴς
ἀιχημητής.

Est utrumq; Bonus Rex, Bellatorq; animosus.

VIR

L A V D A T I O N E S
III. Virtutes congruentes cum
genere uitæ .

*Arfit in eo singulare studium illustrandæ glo-
riæ Dei, & latius propagandæ Ecclesiæ Christi.
In gubernatione togata iustus, & clemens fuit.
In bellis sua celsitudine animi & magnitudine
rerum gestarum, LEONIS cognomen sibi pe-
perit.*

V. Res gestæ .

*Adolescens gessit bellum contra uicinos Van-
dalos, qui Ethnica Idola adhuc colebant.*

*Fridericum Barbarossam Imp. ter in Italiam
secutus est, ac maximæ res Friderici Imp. gestæ
sunt Henrici Leonis auxilio & uirtute.*

*Nostrorum Principum Maiores Pribislaum
& Werslaum ad fidem Christi conuertit .*

*Fundauit Episcopatum SVERINENSEM &
RACEBURGENSEM, & templa magnifica ex-
truxit.*

*Profectus est in Palestinam. Tandem cum uel
reuerentia authoritatis Pontificiæ, uel superbia
adductus, nollet Fridericum Imp. excommunica-
tum à Pontifice suis copijs iuuare, proscriptus
est ab Impera : Quare tres annos exul in Anglia
uixit .*

Cum

PERSONARVM.

Cum Fridericus Imp. in Asiam profectus es-
set, redijt ex Anglia Brunswigam.

VI. Mors.

Placidè obiit Brunswigæ. Anno CHR IST I
1195.

DE HISTORIA.

Præcepta Historiæ scribendæ admodum eru-
ditè & eleganter exponuntur à Luciano in Li-
bello, cui Titulus est, πῶς δὲ ἰστορίᾳ γράφειν.
Et à Cicerone lib. 2. de Oratore.

Vsitatè autem præcepta Historiæ scribendæ
in hæc duodecim capita distribui solent.

Fides, Ordo, Personæ, Voluntates, Consilia,
Causæ, Occasiones, Res gestæ, Virtutes, ut An Vi-
gilantia, Assiduitate, fortitudine res confecta
sit. Casus diuini. Euentus. Secutæ mutationes post
euentus.

Sed aliquantò commodior & planior est hæc
distributio.

In HISTORIA duo sunt consideranda,
RES, & ORATIO.

In REBUS, octo Loci præcipuè spectan di
sunt.

1. Temporum & Rerum gestarum series.

1

2. Peræ

HISTORIA.

2. Personarum uoluntates, ingenia, natura, et fortuna.
3. Consilia prudenter stulte, temere instituta.
4. Honestè uel secus facta.
5. Successus consiliorum in utramq; partem.
6. Prodigia & ostenta omnis generis, ac euentus secuti.
7. Si qua de natura Regionum, populorum, animantium aut aliarum rerum insignia narrationi sunt interspersa.
8. Præmia rectè factorum, et pœna scelerum.

ORATIO est aut NARRATIO seu expositio, aut concio seu argumentatio.

In NARRATIONE quatuor obseruanda sunt.

- I. ORDO, qui constat Propositione, & commemoratione Causarum, Consiliorum, Circumstantiarum, Rei gestæ, Exitus, Eorum quæ sunt consecuta, Iudicij scriptoris.
- II. COPIA, quæ efficitur Distributione, Antecedentibus, Causis, Consequentibus, Enargia, Egressione, Circumstantijs, Exemplis.
- III. AFFECTVVM expressio.
- IIII. LVMINA uerborum & sententiarum.

In CONCIIONIBVS inquirenda sunt.

I. IN

HISTORIA.

1. Inuentio, hoc est, Argumenta, & ex quibus
Locis petita & quam firma.
2. Dispositio & formæ Argumentorum.
3. Elocutio, hoc est, Phrases, figura & orna-
menta.

II CLASSIS MATERIARUM Generis Demonstratiui.

LAUDATIO RERVM

προσωποποιησιῶν
quales sunt.

Artes, quæ Philosophiæ Titulo continentur.
Virtutes & Vicia.

Animantia.

Regiones.

Vrbes & alia materia, ut Pax, Bellum, Plan-
ta, Gemma, Flumina, Horti, Agri, Domus & c.

Loci Laudationis Artium, & Virtus-
tum quatuor usitatè re-
censentur.

I. HONESTAS, seu Causa efficiens, & Im-
pulsiva.

HISTORIA.

- II. UTILITAS, seu Fines & Effectus.
- III. FACILITAS aut Difficultas, quæ ex causis instrumentalibus pendet.
- IIII. SVAVITAS.

Exempla.

ELOQVENTIÆ & RHETORICES laudatio illustris, ex Prolegomenis, quæ initio recitavi, & præcipuè ex Locis Cause efficientis, Cause impulsivæ, & FINIVM seu utilitatum sumi potest.

Aliud Exemplum de laudibus Historiæ.

Propositio.

Nullum genus literarum ad ueram doctrinam Religionis ad Rerum publicarum, morum, & totius uitæ gubernationem, Deniq; ad omne genus studiorum & negociorum magis necessarium, utile ac salutare est, quam Historia.

Dignitas seu Honestas.

Deus ipse est primus scriptor Historiæ, & tota doctrina de Deo, ordine historico scripta est à Prophetis & Apostolis.

Deus ipse conseruauit continuam seriem Historiarum Mundi in Biblijs, Herodoto, Thucydide, Xer-

HISTORIA.

de, Xenophonte, Diodoro Siculo, Liuiio, & Romanorum Imper: Chronico.

Vtilitas.

Vt autem omnia dona diuina, necessarias & immensas utilitates generis humano afferunt: Sic historia prodest.

I. Ad cognitionem Religionis, ut sciri possint.

1. Rerum initia.
2. Veræ Religionis origo & propagatio.
3. Ortus superstitionum. Vt solam doctrinam certis Testimonijs inde usq; ab initio propagatam amplectamur. Sola enim Religio Antiquissima est uerissima.
4. Ordo Imperiorum, in quibus domicilia Ecclesie fuerunt, & precipui Doctores uixerunt.
5. Ad supputandas LXX. Danielis hebdomadas.

Hæ Vtilitates sunt uberiores & ampliores, quam ut uerbis illustrari possint.

II. Ad Communis uitæ gubernationem, & mores formandos.

Duæ res gubernant uitam.

1. DOCTRINA seu Præcepta uerbi diuini, Ethicæ, Politicæ, & Legum honestarum.

HISTORIA.

2. EXEMPLA Virtutum & uiciorum, præmiorum & pœnarum, quæ magis mouent animos quam præcepta.

In Historijs omnium humanorum officiorum exempla tanquam in illustri posita loco cernuntur. Ideo uocatur à Cicerone Magistra uitæ. Sic nos in Ecclesia Filij Dei & Ionathæ humilitatem, Pauli fidem & sedulitatem ac constantiam imitemur.

Pomponij Attici Moderationem.

Socratis Patientiam & Innocentiam.

Deniq; tota Mundi historia est concio de ira Dei aduersus peccata, & hortatur nos ad Timorem Dei, & ad Modestiam, ut dicitur:

Discite Iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

III. Ad gubernationem Reipublicæ.

Prodest nosse seriem Imperiorum, Quæ causæ mutationes & inclinationes Regnis attulerunt.

Virtute, Iustitia, Clementia, creuerunt Imperia.

Superbia, emulatione, dissidijs, crudelitate, libidimibus euersa sunt.

Scipio, Cyri Padian, à Xenophonte descriptam

HISTORIA.

ptam assidue in manibus habuit, ut ad Cyri exem-
plum se totum componeret.

Alexander Magnus Iliada Homeri semper
secum circumtulit, & nominavit ἐφόδιον πολε-
μικῆς ἀρετῆς.

III. Ad omne genus stu- diorum.

1. Quia multipliciter formant Iudicium. Ideo
Demosthenes descripsit octies Thucydidem.
2. Augent facultatem dicendi.
3. Singularum Artium initia, propagatio, in-
crementa ex Historijs sumuntur.

S V A V I T A S in Epistola Ciceronis ad Lu-
ceium declaratur.

Conclusio sit Adhortatio ad legendam Histo-
riam.

V I R T V T V M plerarumq; laudationes,
ex quibus fontibus pendendæ sint, indicatum est
in Libello de Virtutibus, & addita sunt exem-
pla, & γνῶμαι, quibus illustrari & expoliri
oratio poterit.

EXEMPLA LAVDATIO- nis Animantium.

De Apibus.

14

Quod

L A V D A T I O

Quod Xenophon inquit, πανυ εοικε ταυτα σοφδ ανος δκμιδγγδ η ειλozως τεχνιμαλ.
Id præcipue ad considerationem nature animantium transferri potest.

Ratio .

Nam nature, Proprietates & Inclinationes animantium conuincunt, naturam, non casu extitisse, sed à mente intelligente conditam esse.

Propositio.

Quare dicam de A P I B V S.

I. Dignitas.

Multæ imagines & simulachra uirtutum expressa sunt in Apibus .

I. Sunt Prudentes. Quia habent ordinatam & benè constitutam Rempub. Consortia tecta .

Urbis habent magnisq; agitant sub legibus æuum.

Venturæq; hyemis memores æstate laborem experiuntur. Vt Virgilius canit.

II. Sunt Temperantes & castæ, producunt fetus sine concubitu, nec corpora segnes in uenerem soluunt . Maxima autem laus est Castitatis & Temperantiæ.

III. Sunt Fortes, & gerunt bella.

Illis

A P I B V M.

Illis ira modum supra est, laesq; uenenum,
Morsibus inspirant, animamq; in uulnere ponūt.
Pulchramq; petunt per uulnera mortem.

Hæc ira Heroica nunc debebat in Principibus
esse. Potes excurrere in Locum communem de
laude & dignitate Rei Militaris.

IIII Sunt sedule & laboriosæ.

Cecropias innatus Apes amor urget habendi.
Munere quamq; suo.

Omnibus una quies operum, labor omnibus unus,
Mane ruunt portis, Nusquam mora &c.

V. Sunt Frugales. Namq; in medium quæsitæ
reponunt.

VI. Obedientia summa colunt Regem.

Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant, Rege incolumi Mens omnib. una est.
μέγιστον ἀγαθὸν ἢ περὶ ἀρχία.

Hæ Virtutes illustrentur Antithesi, Exemplis
& sententijs. Ita copiosissimus se orationis cam-
pus aperiet.

Vtilitas.

Apes suppeditant nobis Ceram & Mel, cuius
summa utilitas est in Medicina. Nam et alit cor-
pora, & abstergit, aperit Meatus, & purgat
&c.

L A V D A T I O

Potest addi descriptio insecti, quæ multa Testimonia Prouidentia & omnipotentia diuinæ continet. Item ex Bouo mortuo & putrefacto reparatur examen Apum: Ita ex Christo uictima mortuo nascitur Ecclesia & c.

Exempla Laudationis Artium, Virtutum, Animantium, Regionum, Urbium, & Vituperationes &c. exstant plurima in Primo, II & III Tomo Declamationum Philippi Melanthonis, & alibi.

REGIONVM LAUDA=

tiones, ex octo Locis sumuntur.

- I. Situs.
- II. Adpellationes ueteres & recentes.
- III. Res gestæ à ueteribus incolis.
- IIII. Duces uirtute præstantes.
- V. Forma Gubernationis politicae.
- VI. Ecclesie & Scholæ.
- VII. Frequentia urbium.
- VIII. Vbertas soli & c.

DISPO=

VVESTPHALIÆ.
DISPOSITIO LAVDVM
VVESTPHALIÆ.

I. Situs Quadranguli figuram efficit, cuius Occidentale latus est Rhenus à Colonia Swollam usq; Orientale latus est flumen Visurgus ab Vrbe Brema usq; in Hassiam, Boreale latus, Frisia, Meridionale Hassia claudit.

II. In hac Regione, Ptolemæi temporibus, Bu= factores, Ehemæ, Angili, Angriuarij habitauerunt.

Ab Angilis Britannia Insula Angliæ nomen accepit, circa Annum Christi 448. Historia extat in Beda.

Angriuaria nomen adhuc extat in oppido Engern.

Caroli Magni temporibus Saxoniæ pars fuit. Postea Westphaliæ appellatio extitit à pullo Equino, quem Wedekindus Dux Saxonum in suis Imaginibus pingere solebat.

III. Res gestæ. In Westphalia propè urbem Monasterium case sunt ab Harminio Legiones Romanæ cum Quintilio Varo. Historia recitetur ex Paterculo.

Cum Carolo Magno 30. Annos bellum gesserunt Westphali, donec ad fidem Christi sunt conuersi.

Postea

L A V D A T I O

Postea constanter fidem Christo datam serua-
uerunt.

Nobilitas Westphalica ante Annos 300. am-
plissimam gentem Liuonicam ad Religionem
Christianam adduxit.

IIII. Duces genuit hæc natio sapientia, uir-
tute & fortitudine bellica præstantes. Wede-
kindus molem belli contra Carolum Magnum
30. Annos sustinuit.

Ab hoc orti sunt Ottones Imperatores, Hen-
ricus I. & II. Lotharius Imp. qui Romanas Le-
ges restituit. Henricus Leo, qui gentem Megapo-
lensem ad Euangelion amplexendum adduxit.
Deniq; omnes Principes Saxonie Electores,
Brunswicenses, Luneburgenses, & Anhaltini.

V. Forma Gubernatiõis politicæ honesta et iusta
est. In ciuitatib. iudicia iure et legib. cõstituta sũt.

Clandestina iudicia Carolus Magnus sa-
pienti consilio instituit, ut per uiros sapientes,
iustos, et graues punirentur cupidi abolendæ Re-
ligionis Christianæ, aut mouendæ seditionis. Po-
stea accesserunt ἀταξία. Sed tamen genus ipsum
Iudiciorum, ut à Carolo instituta sunt, iustum est.
Ideo etiam à recentioribus Imp. Sigismundo, Fri-
derico III. & Maximiliano approbata sunt.

VI. Ecclesie primum constitutæ sunt à Caro-
lo Magno.

Colle-

VVESTPHALIÆ.

Collegio Osnabrugensi primus Episcopus
Wiiho Anglus, Anno Christi 777. præfectus est, et
simul sancitum, ut semper assidui Professores
Græcæ & Latinae linguae in collegio essent.

Hic copiosius dici potest, quam necessaria sit
Ecclesiæ cognitio Græcæ linguae.

Multos etiam in utraq; lingua viros doctissi-
mos genuit Westphalia, ut Alexandrum Hegium,
Goclenium, Arnoldum Westfaliensem, Buschium,
Tulichium, Bonnum, Burenium, Henricum Lin-
gensem &c.

VII. Vrbes multas & amplas, & splendide
edificatas continet.

VIII. Vbertas Soli multis in locis eximia est.
Alicubi loca sunt horridiora, ut ne in Palestina
quidem melle & lacte fluente, ubiq; similis ferti-
litas fuit.

Epilogus.

Hæc ornamenta suæ Patriæ Westphali consi-
derent, Ideoq; ardentius eam ament, & omnibus
officijs fouere studeant. Orent etiam Deū, ut sem-
per aeternam Ecclesiam per uocem Euangelij in
ea regione colligat.

VRBIVM LAVDDES EX

hisce octo Locis precipue
petuntur,

I. Antio

GENVS

- I. Antiquitas.
- II. Situs.
- III. Ædificia.
- IIII. Forma gubernationis politica.
- V. Res gestæ in pace & bello.
- VI. Viri illustres.
- VII. Schola.
- VIII. Ecclesia. Nam ut diuinus uates Stigelius cecinit.

Vtq; alios alij de Relligione docerent

Contiguas pietas iussit habere domos.

Hinc Vrbes structæ, quarū est ante omnia munus
Afferuisse Deo quam iubet esse fidem.

Exemplum qualecunq; Laudationis Vr-
bium nuper audiuerunt studiosi, in Oratione de
oppido Suerino.

III. CLASSIS MATERIARUM Generis Demonstratiui.

LAVDATIO FACTORVM in qua præcipuū
Præceptū est, ut transferat Laudator orationem
ad Locos Communes uirtutum, eamq; collatione
Exemplorum & circumstantiarum illustret.

Psalmi εὐχαριστικοὶ laudant beneficia Dei.

Paulus ad Rom. 4. laudat factum Abrahæ cre-
dentis diuinæ promissioni.

Alexander

DEMONSTRATIVVM.

Alexander Magnus parta ad Issum Victoria,
cum Darij Vxorem & filias cepisset, aspicere eas
noluit, ne flammis illegitimi amoris accendere-
tur. In hoc facto Locus communis est de Castita-
te seu Pudicitia. Et quantum decus omnium cæ-
terarum uirtutum in Principe sit continentia,
& clementia.

Idem Alexander assiduè in exercitu Iliada
Homeri secum circumtulit & legit,
Fessaq; nocturna cum membra quiete leuaret,
Dicitur hoc capiti supposuisse suo.

Locus communis est. Summum decus uiro-
rum Principum esse cognitionem Literarum
atq; Artium, quibus imperia reguntur.

Cum Philippus Macedo expugnata Olyntho
aulicos singulos aliquid à se petere iussisset, Sa-
tyrus quidam Comædus petijt, ut Apollophanis
amici sui filias nubiles in Olyntho captas liceret
sibi pecunia sua elocare. Id summa clementia Phi-
lippus, etsi Apollophani infensus erat, præstitit.

In hoc facto sunt duo Loci communes preci-
pui, Alter de fidelitate & Constantia in Amici-
cia, quam propriae utilitati, Satyrus prætulit,
Alter de Clementia remittente offensionem
&c.

Ad

GRATIARVM.

Ad hoc genus pertinent GRATIARVM ACTIONES, quarum duæ sunt Partes, Prior est Laudatio seu Amplificatio accepti beneficij. Posterior Promissio Compensationis seu Mentis Grate & memoris. Præcepta de hoc genere prolixiora extant in libello Erasmi de conscribendis Epistolis.

Hortor autem Studiosos, ut se adsuefaciant, ut & uerbis & literis, crebro gratias agant ijs, à quibus beneficia acceperunt. Est enim Gratitude non modo illustre indicium bonæ & generosæ mentis. Verum etiam, ut Cicero ait, Mater uirtutum omnium reliquarum. Est significatio Gratitude plerumq; noua beneficia parit, ut in Versibus Sophoclis dicitur:

Ἄνδρῖ τοι χεῶν
 μνήμῳ προσεῖναι τὸ πνὸν εἶτι πῦ πάθοι
 χάρις, χάρις γὰρ ὅστις κ' τίκτασ' αἰεὶ
 ὅτ' ὄσ' ἀπορρεῖ μνήσις εἰ πεπονθότ' ὅ
 δουκ' ἄρ' ἔλοίτο ποδ' οὐτ' εὐγενὴς ἀνὴρ.

Virum bonum decet

Beneficij meminisse gratis pectore,
 Nam Gratia semper gratiam bonam parit.
 Sed si quis obliuiscitur beneficij
 Quod accipit, generosus hic uir nunquam erit.

Optima autem εὐχαριστιῶν Exempla sunt
 Psalmi

ACTIONES.

Psalmi εὐχαριστικοί, quos supra in Præcepto de Tribus generibus causarum recitavi.

Canticum Mariæ, cuius initium est, Magnificat anima mea Dominum, est Gratiarum actio, in qua Maria sustinens personam totius Ecclesiæ, laudat duo Beneficia Dei. Primum Quod Mariam & totam Ecclesiam humilem & abiectam respicit & defendit contra Mundi Sapientiam & Potentiam.

Secundum. Quod Messiam Abrahamæ promissum exhibuit.

Duo primi Versus Cantici Mariæ continent Propositionem amplificatam Expolitione.

Sequentes sex Versus, primi beneficij laudationem continent.

Postremi duo, secundum beneficiū celebrant.

Canticum Zachariæ, cuius initium est, Benedictus Dominus Deus Israël, itidem est Gratiarum actio, qua hoc immensum Dei beneficiū laudat, quod Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum Redemptorem Ecclesiæ, iuxta promissiones Abrahamæ & Dauidi factas exhibuit.

GENVS CAVSARVM IV
diciale monstrat rationem tractandi cōtrouersias forenses.

K

Cum

STATVS.

Cum autem magna uarietas sit *Causarum*,
quæ in iudicijs tractantur, distributi sunt *Loci*
huius Generis in tres *Classes*, seu in tres *status*,
qui alioqui cæteris etiam generibus *causarum*
communes sunt.

CONIECTVRALIS An sit factum.

Loci.

I. *Causa προηδρῶν*, seu *Impulsio*, *affectus*
Interior, qui irritatus ab *externa causa*, *princi-*
paliter effectuum causa est, ut *ira*, *odium*.

II. *Vita personæ ante acta*.

III. *Causa finalis* seu *Raciocinatio à spe conse-*
quendi commoda, aut *fugiendi incommoda*.

IIII *Signa*.

V. *Circumstantiæ Connexa*.

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxilijs*, *cur*, *quomodo*,
quando.

VI. *Loci Inartificiales*. *Testimonia*, *Rumores*,
Præiudicia, *Quæstiones*, *Tabule*, *Iusiurandum*.

Illustre est exemplum tractandæ coniecturæ,
ea pars orationis pro Milone, in qua probat *Clo-*
dium Milonis vitæ insidiatum fuisse.

Pro

CONIECTURALIS.
Pro Milone, An Clodius fue-
rit Insidiator.

1. *Causa finalis. Raciocinatio. Satis est in illa tam audaci, tam nefaria belua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaq; Cassianum illud, cui bono fuerit, in his personis ualeat.*
2. *Impulsio. At ualuit odium, fuit iratus, fuit inimicus, fuit ultor iniuria. Hac maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone.*
3. *Vita personae antea. Reliquum est, ut iam illum natura ipsius consuetudoq; defendat &c.*
4. *Quid quod caput est audaciae, Quis ignorat. Maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem.*
5. *Testes. Sed, Quid ego argumentor, te M. Cato testor.*
6. *Clodius praesciuit iter Milonis.*
7. *Circumstantiae. Videamus nunc quod caput est, Locus ad insidias ille ipse utri fuerit aptior.*
8. *Habitus, Comitatus, Mora, Tempus.*
9. *Questiones.*
10. *Conscientia Milonis.*

K 2

Pro Ro=

S T A T V S
Pro Roscio Amerino.
Roscio non est Parricida.

- I. Vita Ante acta, & mores Rei.
- II. Causa. Nulla potest ab Accusatore Causa probabilis allegari, qua adductus Roscius patrem occiderit, Non luxuries, non aes alienum, cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui ruri semper habitavit, & in agro colendo uixerit, Quae uita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta.
- III. Circumstantiae. Non potest accusator probare, ubi, quomodo, per quos, quibus auxilijs, cur & quando interfecerit.
- IIII. Signum τεκμήριον. Accusatores noluerunt Sexto Roscio postulanti duos seruos, qui affuerunt cum Roscio occideretur, in Quaestionem concedere &c.

Haecenus probauit Sextum Roscium non esse Parricidam. Deinde confirmat, Titum Roscium cognatum interfecisse Roscium.

- I. Causam tu nullam reperiabas in S. Roscio, At ego in T. Roscio reperio.
- II: Causa Finalis. Lucius Cassius ille, quem PR. uerissimum & sapientissimum Iudicem putabat, identidem in caesis quaerere solebat. Cui bono fuisset.

CONIECTURALIS.

fuiſſet. Sic uita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atq; emolumento accedere. Titus Roſcius ampliſſimam pecuniam poſſidet, Sextus in ſumma mendicitate eſt &c.

III. Circumſtantie et ſigna. Videamus nunc, & quæ facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit. Vbi occiſus eſt Sextus Roſcius? Romæ &c.

A Locis, Temporibus, Perſonis, Signis, Conſequentibus.

Apud Liuium Dec. 4. Lib. 10. Duæ contrariæ Orationes ſunt.

Perſei & Demetrij Filiorum Philippi Regis Macedonia, in quibus diſputatur, An Demetrius uitæ fratris inſidiatus ſit.

DISPOSITIO ARGUMENTI
menti ſtatus coniecturalis ſumpti ex Gene. 37. Capite.

Beniamin uterinus frater Ioseph ac-
cuſat cæteros fratres coram patre Iacob, de parricidio ob interfectum Ioseph, quem ipſi à beſtia laceratum eſſe affirmabant.

Status coniecturalis eſt.
An fratres interfecerint Ioseph.

K 3

LOCI

STATVS

LOCI sunt uoluntas, facultas &c. quorum
usus erit in confirmatione.

Exordium ducat Beniamin à Causa instituta
accusationis.

Propositio Exordij.

Carissime Pater. Suscipio necessarium offi-
cium Pietatis, Deo, tibi patri, & meo dulcissimo
ac unico Fratri Iosepho debita, dum parrici-
dium, quo Dei gloria leditur, & tu pater ingenti
dolore consumeris, & mei carissimi & uterini
fratris uita extincta est, accuso, & seuerissime
puniri peto.

Ratio.

Nam & Deus uult atrocissima scelera etiam
in hac uita accusari & puniri, & me tuo luctu
ac dolore affici, & naturali storge erga fra-
trem unicum & uterinum diuinitus insita pecto-
ribus moueri necesse est.

Conclusio.

Quare cum & Deo obtemperare, & patris
dolore affici debeam, & uiuo fratri meam sop-
ylw & bencuolentiam fraternam probare ne-
queam, mortis ipsius poenas de parricidis sumi
petam.

Occupatio.

Etsi sunt Fratres quos accuso: Tamen post-
quam parricidio uincula paterni & fraterni a-
moris

CONIECTURALIS.

moris ruperunt, & se à Deo, parentibus, & cognatis auulserunt, nequaquam eos fratrum, sed parricidarum loco habendos esse iudico.

Propositio per occupationem.

Quamquam enim impudenti mendacio scelus suum tegere audent, cum fingunt, Iosephum à bestia laceratum esse: Tamen ipsos sua manu fratrem necasse, adeo planum faciam Pater, ac si oculis tuis coràm Parricidium ab ipsis perpetratum uidisses.

Partitio continet præcipua capita confirmationis.

Nam & uoluisse eos fratrem è medio tollere, & potuisse, & data occasione etiam perpetrasse Parricidium demonstrabo.

CONFIRMATIO EX LOCO VOLVNTATIS.

Ab Impulsione.

Flagrarunt erga eum immuni odio iam longo tempore, non quod ab eo iniuria aliqua affecti fuissent, sed quia uidebant eum à patre ardentè diligì, & ipsis uirtute & pietate antecellere.

Hic Loci Communes multi incidunt.

I. Quanta sit uis et acerbitas odij inter fratres, quod longo tempore radices egit.

K 4

A Simi

S T A T V S

A Simili.

Vt mel statim uertitur in amarissimam bilem: Ita cum fratrum & coniunctissimorum amiciciae disiliunt, multò acerbiores & immaniores fiunt inimiciciae, quam inter alios.

Ab Exemplis.

Esau simili odio flagrauit aduersus te Pater, & tuæ Vitæ insidias struxit, ac te quoq; necasset, nisi in disitis regionem profectus esses.

Cain hoc diabolico odio inflammatus suum fratrem uirum sanctum & Deo placentem Abelem interfecit.

II. De emulatione, inuidentia, liuore.

III. De Astorgia, Quanta turpitudine sit huius sceleris, cum ferae bestiae sint ἐυσοργιτορα.

A Signis Antegressis.

Nunquam sunt cum eo collocti amanter longo tempore. Sæpe exitium ipsi minati sunt.

Consecutis. Miserunt uestem, qua ipse cinctus fuit, conspersam sanguine. Ita Deus eos dementauit, ut ipsi prodant suum scelus.

Mittunt uestem non laceratam à fera.

A circumstantiis Loci & Temporis.

Com.

I V R E D I C I A L I S.

Comprehenderunt eum solum in Campo.

A locis inartificialibus.

*Viri Sichimitæ testes sunt eum incolumem
peruenisse ad fratres in Dothaim &c.*

S T A T V S I V R E D I C I A
L I S D V P L E X E S T.

*Absolutus, cum simpliciter iure & rectè ali-
quid factum esse defendimus.*

L O C I pleriq; ex Dialectico causa-
rum Efficientium loco nas-
cuntur.

1. Natura seu Lex naturæ.
2. Lex scripta siue diuina siue hus-
mana.
3. Consuetudo.
4. Aequum & bonum, Ἐπιείκεια.
5. Iudicatum seu Exempla.
6. Pactum.

*Illustre status Absoluti Exemplum est in Mi-
loniana, Refutatio primi Præiudicij cuius Pro-
positio est. Insidiator iure interficitur. Hanc
confirmat.*

S T A T V S

1. A Lege naturæ. Est enim hæc iudices, non scripta sed nata Lex &c.
2. A Lege scripta. Quod si duodecim Tabule nocturnum furem quoquo modo &c.
3. A more seu Consuetudine Iudiciorum. An est quisquam qui hoc ignoret? Cum de homine occiso quærat, aut negari solere omnino id esse factum, aut rectè iure factum esse.
4. A Iudicato; hoc est, Exemplis Horatij. P. Africani. L. Opimij &c.

Etsi autem oratione inuerso hæc Argumenta recitantur: Tamen à mediocriter exercitato Locuti facile animaduerti possunt.

Assumptius, cum fatemur nos iniuste fecisse, sed tamen adsumptis aliunde causis factum lenire studemus. Huius species sunt.

<p>Concessio, cum non defendimus crimen, sed studemus mitigare & ueniam petimus.</p>	<p>Translatio. Relatio criminis.</p>	<p>Comparatio.</p>
--	--------------------------------------	--------------------

Purgatio. Deprecatio.

PVRGATIO cum non consulto, sed per fortunam

IVREDICIALIS.

fortunam aut errorem, aut adfectu aliquo, ut ira, metu, incitatos nos peccasse fatemur.

Pro Ligario. Quod si est criminofum, neceffitatatis est non uoluntatis.

Ouidius in Triftibus fuum crimen purgat, dicens fe errore peccaffe.

Talis est defenfio Horatij in primo Liuij, qui sororem occiderat. Quod non dolo malo, aut infidiose, aut lucri causa, fed Heroica quadam indignatione, & nimio amore erga Patriam impulsus sororem occiderit, quæ mariti incolumitatem faluti patriæ anteferebat.

DEPRECATIO cum peccaffe nos & quidem confulto fatemur, fed tamen imploramus misericordiam, & petimus ueniam. Huius status illufre Exemplum est Pfalmus, Misere mei Deus, & Quotidianæ Precationes piorum. Item, Totus Secundus Liber Triftium. Apud Ciceronem infignia Deprecationis Exempla funt in Orationibus Pro Milone, Pro Cælio, Pro Ligario.

TRANSLATIO Criminis cum culpa in alium confertur, ut Mulier quam dedifti mihi foeciã, decepit me.

S T A T V S

In Oratione de Friderico Barbarossa excu-
satur Fridericus, Quod in causa meliore Pontifi-
ci supplex factus est, & se ad eius pedes abiicit,
& insuper se tanta contumelia adfici passus est.
Id factum primum mitigatur per Purgationem,
Quod non metu, aut desperatione Victoriae, sed
Reuerentia Loci Apostolici, & quadam Religio-
nis opinione motus sit, ut supplex fieret, & quod
contumeliae praeter opinionem ei acciderint.

Deinde remouetur ab eo culpa in Pontificis
superbiam & crudelitatem.

RELATIO Criminis, cum alterius iniu-
rijs prioribus laceſſitos nos esse dicimus. Ut Ore-
stes caedem matris à se factã excusat, Quod ipsa
prius Patrem interfecerit.

COMPARATIO. Cum ex utilitate pu-
blica nos fecisse defendimus. Vel cum duabus uijs
propositis alterutrum fuisse faciendum, & id
quod fecimus Reipub. utilius esse ostendimus. Ut
pro Milone longa Oratione defendit, Clodij cae-
dem Reipub. profuisse, & utilius fuisse eum in-
terfici, quàm superstitem relinqui.

Status Legalis.

Ad hunc statum pleraeq; controuersiae de Do-
gmatis

FINITIVVS.

gmatibus in Ecclesia pertinent. Recitantur autem in hoc Libello sex Species.

Definitio .

De Ratione constituendi & examinandi Definitiones Præcepta Dialecticæ consulenda sunt.

In Disputationibus horum temporum præcipua contentio est de Definitionib. Vocabulorum Gratia, Fidei, Iustitiæ, Peccati, Pœnitentiæ, cultus Dei, Libertatis Christianæ &c.

Gratia ab Aduersarijs definitur esse caritas infusa à Deo cordibus nostris mouens ad diligendum Deum & proximum, seu ad implendam Legem Dei.

Nos dicimus GRATIAM significare gratuitam Misericordiam Dei, qua nos in Christum credentes à Peccato absoluit, & in gratiam recipit, & ad uitam æternam acceptat.

Hanc definitionem confirmamus primum Ebraica Phrasi, qua Vocabulum, Hen usurpatur pro fauore, seu Beneuolentia, qua quis alterum diligit.

Deinde Testimonio Pauli Rom. 5. ubi perspicuè discernit Gratiam à Dono Spiritus sancti, seu ab infusione nouarum uirtutum.

Tertio.

STATVS

Tertio. A contrario. Paulus opponit Gratiam
& mercedem Rom. 4. Peccatum & Gratiam
Rom. 5. Confert Legem & Gratiam Rom. 6. Non
estis sub Lege, sed sub Gratia.

Non igitur significat Gratia ipsam Legem,
aut caritatem, uel alias uirtutes, quæ legis uoca=
bulo continentur.

FIDEM definiunt Aduersarij Notitiam
Articulorum doctrinæ Christianæ, & assensum,
quo statuimus ueram esse doctrinam, & credi=
mus in genere aliquibus peccata à Deo remitti,
& uitam æternam dari.

Nos hanc definitionem constituimus.

FIDES Christiana est Notitia Personæ &
beneficiorum Christi, ac totius doctrinæ à Deo
traditæ, & assensus, quo amplectimur totam do=
ctrinam, & in hac promissionem gratuite re=
conciliationis certo donandæ propter Christum
Mediatorem, & est fiducia acquiescens in mise=
ricordia Dei propter Mediatorem promissa, &
certo statuens sibi ipsi peccata remitti, se Deo
placere, & recipi ac exaudiri propter Christum
Mediatorem.

Huius Definitionis tres sunt partes.

- I. Notitia Historiæ.
- II. Assensus seu Fides Generalis.

Fiducia

FINITIVVS.

III. Fiducia certo statuens SIBI ipsi peccata remitti propter Christum.

De hac tertia parte dissentiunt à nobis Adversarij, qui contendunt dubitandum esse, An simus in gratia, & An Deo placeamus. Sed hanc dubitationem Academicam perspicuè refutant illustria testimonia Christi, Pauli, & Prophetarum.

Christus inquit, Fili remittuntur TIBI Peccata tua, Fides tua TE saluam fecit. Omnis qui credit in eum, non perit, sed habet uitam aeternam.

Iam prorsus contrarij motus sunt Credere et Dubitare. Qui credit aliquid uerum esse, non dubitat. Qui dubitat, non credit.

Paulus Rom. 4. πληροφορία seu certitudinem Fidei Abrahæ non dubitantis, sed firmissimè credentis SIBI IPSI promissa præstari insignibus uerborum luminibus illustrat. Abraham intuens in Promissionem non dubitauit ob diffidentiam, sed firmam fidem habuit, tribuens DEO gloriam (ueritatis) & certissimam persuasionem conceperat, quod quæ promisit Deus, posset etiam præstare. Ideo etiam reputatus est iustus.

Et paulo ante dixit Paulus. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio. Dubitanti autem de promissione, quæ omnibus et singulis remissionem

nem

S T A T V S

nem peccatorum propter Christum offert, Promissio non est firma, sed inanis sonitus.

Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Sed dubitatio non affert pacem conscientiae, sed auget pauores.

Ephes. 3. Per quem audemus accedere cum confidentia &c.

IUSTITIAM Aduersarij definiunt esse caritatem à Deo nobis infusam, Qua impleamus Legem Dei, & mereamur uitam aeternam.

IUSTIFICATIONEM definiunt esse infusionem Gratiae Dei, hoc est, caritatis, qua diligimus Deum & Proximum, & Legem Dei implemus.

Nos docemus IUSTIFICARI idem esse, quod absolui à peccato, seu accipere remissionem peccatorum & iustum pronuciari propter Christū Mediatorem. Hæc definitio ex perpetua consuetudine Phrasis Ebreæ, & omnibus testimonijs Prophetarum & Apostolorum, in quibus Verbum Iustificari usurpatur, confirmari potest.

PECCATVM definiunt Aduersarij esse cogitatum, dictum uel factum contra Legem DEI.

Hæc definitio multò angustior est definito.

Moses

FINITIVVS.

Moses enim scribit figmentum seu ipsum
πλάσμα cordis humani malum esse.

Iere. 7. Cor hominis est prauum & inscru-
tabile.

Rom. 7. Concupiscentia est peccatum.

Deut. 27. Maledictus omnis qui non perma-
net in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.

Rom. 8. Sensus carnis est inimicicia aduersus
Deum. Significat autem φρόνημα σαρκός, Men-
tem & iudicium carnale de Deo, & uoluntatis
ac cordis ὀρμαίς, affectus & appetitiones.

Ideo rectissimum est hanc peccati definitio-
nem retinere, quæ extat 1. Iohan. 3. Ἄνομία ὅτι ἢ
ἁμαρτία. Peccatum est, quidquid non congruit
cum lege Dei. Videlicet defectus lucis & iusti-
tiæ, in qua homo conditus est, deprauatio cordis
& omnium uirium naturæ humane nobiscum na-
ta, caligo et dubitationes de Deo, prauæ inclina-
tiones, cupiditates & affectus, Deniq; etiam
actiones omnes interiores & exteriores cum le-
ge Dei pugnantes, propter quæ mala homo reus
est iræ Dei, & æternæ damnationis, nisi
propter Christum fide consequatur remissionem pecca-
torum.

L

ANTI

ANTINOMIAI.
ANTINOMIAI SEV
CONTRARIÆ LEGES.

Præcipuè in controuersijs Ecclesiasticis maximus usus est status Antinomias, in conciliandis dictis, quæ prima specie inter se disidere uidentur. Quare sequentes Regule diligenter considerentur.

I. Regula.

Vniuersaliter cum dicta in specie
em secum pugnantia occurrunt, faci-
enda est collatio Textuum, & circum-
stantiarum, & retinenda sententia,
quæ cum uniuersa scriptura consens-
tit.

Vt contrariæ Leges sunt. Matth. 5. Non iurabis omnino.

Deut. 10. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis.

Docet autem uniuersa scriptura tum testimonijs plurimis, tum Exemplis Dei, Christi, Pauli, & aliorum iureiurando sua dicta confirman-
tium, Quod liceat iuramenta legitima præstare.
Gen 22. Per memetipsum iuravi dicit Dominus.

Psal. 110. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

Ierc. 12.

A N T I N O M I A I.

Iere. 12. Tanquam peculiaris Dei cultus flagitatur Iusiurandum. Iurabunt uiuit Dominus, & non in Baal.

Rom. 9. Ebre. 6. Omnis controuersia finis est Iusiurandum,

Hic consensus scripturae conuincit dictum Matth. 5. Non simpliciter omnia iuramenta prohibere. Sed ea tantum quae uel per creaturas fiunt, uel priuata futilitate, sine necessaria causa, non mandante magistratu, nec cogente uocatione, erumpunt.

Contrariae Leges sunt Rom. 3. Concludimus fide iustificari Hominem sine operibus legis.

Iacob. 2. Vides igitur quod ex operibus Iustificetur homo, & non ex fide solum.

Cum autem uniuersa scriptura clamitet. Nulum hominem posse coram Deo proprijs operibus, seu meritis, seu uirtutibus iustificari, Sed propter solum Christum Mediatorem Gratis omnes credentes recipi, perspicuum est, sic intelligendum esse Iacobi dictum, ne cum hoc consensu scripturae, & uniuersali experientia piorum pugnet. Videlicet, Ex operibus iustos declarari seu ostendi Homines, ut ex fructibus, arboris bonitas declaratur. Nec satis esse inanem per-

A N T I N O M I A I.

suasionem fidei circumferre, & iactitare, quæ non se per bona opera exerat.

II. Regula.

Pugnancia dicuntur respectu eiusdem subiecti & obiecti.

Hæc Regula plurimas Antinomias dextrè & eruditè dissoluit. Vt Deus non patitur, & est immortalis.

CHRISTVS Deus est pro nobis passus et mortuus.

Hæc propositiones non pugnant. Non enim dicuntur respectu eiusdem naturæ.

Diuina natura in abstracto non patitur. Sed hæc persona Christus, in qua duæ naturæ, diuina & humana unitæ sunt, passa & mortua est secundum carnem, hoc est, naturam humanam, quiescente VERBO.

Antinomiæ sunt. Luc. 6. Estote misericordes, Remittite & remittetur uobis.

Deut. 19. Non misereberis, sed auferes malum ex medio tui.

Non pugnant. Quia non dicuntur respectu eiusdem subiecti & obiecti. Prius dictum concionatur omnibus hominibus, ut condonent alijs, non atrociam scelera, quæ uel Deum contumelia afficiunt, uel toti Reipub. aut nobis ipsis exitio sunt,
sed

A N T I N O M I A I.

Sed communes nauos seu infirmitates Hominum, de quibus dicitur, Amici mores noueris, non oderis. Item aliquas iniurias leues iubet, condonari publicæ paci. Et in atrocibus iniurijs uult ex animo deponi odium coram Deo.

Posterius dictum Magistratibus præcipit, ut puniant atrocita scelera, quæ & Deum contumelia afficiunt, & Reipub. tranquillitatem turbant.

Antinomiae sunt Rom. 13. Non frustra gladium gerit, Dei minister est, uindex ad iram.

Matth. 26. Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Non pugnant. Quia non dicuntur respectu eiusdem subiecti. Prius dictum ad Magistratum politicum: Posterius ad Apostolos & ministros Ecclesie pertinet.

Antinomiae sunt I. Timoth. 1. Iusto non est Lex posita. Et illud, quod sæpius repetitur. Si audieris uocem Domini Dei tui, & obediueris Legi eius &c.

Conciliatio petitur ex hac Regula. Omnis Lex obligat uel ad obedientiam, uel ad pœnam. Iusto autem non est Lex posita, quod ad pœnam seu condemnationem attinet, iustum non accusat non condemnat Lex. Sed tamen manet ordo Iustitiæ diuinæ, ut iusti Deo obediant. Ideo enim iu-

A N T I N O M I A I.

Justificati sunt à Deo, ut Deo possint obedire in iustitia & Sanctitate vera &c.

Regula III.

Multæ Antinomie in scriptura expressi Ebræa aut Græca dijudicantur. Quare considerandum est, An sit Verborum uel Rerum discrepantia. Et fontes Ebraicæ & Græcæ lingue consulendi sunt.

Psal. 119. Beati immaculati in uia, qui ambulant in Lege eius.

Rom. 3. Omnes peccauerunt, Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro.

Hæc dicta conciliantur dextrè explicata Phrasi. Nam uox Thamim, quam aliàs uertunt immaculatum, alias perfectum, non significat expers omnis peccati, aut habens omnium uirtutum summus gradus, sine ullo nœuo, Sed significat integrum, non mutilum, non morbidum, ut Exodi 14. iubetur Agnus immaculatus ex grege eligi. Itaq; in Psalmo, Immaculatus significat mundatum à peccato per sanguinem Filij Dei, et non pollutum Idolis aut sceleribus contra conscientiam.

Omnes autem habentes fidem & bonam conscientiam sunt immaculati, scilicet, Inchoatione, & Imputatione, sed nondum consummatione.

Deinde

A N T I N O M I A I.

Deinde Lex Dei in Psalmis et Prophetis, non solum Præcepta Dei in Decalogo & alibi tradita, sed in genere doctrinam Legis & Euangelij, seu Verbum Dei significat. Thora enim à uerbo Iarah deducitur, quod significat instruere seu docere.

Ambulant igitur in Lege Dei omnes, qui uerbum Dei diligenter legunt, audiunt, discunt, fide amplectuntur, & uitæ consilia & actiones uerbo Dei regunt.

IIII.

Plurima dicta, quæ prima specie pugnantia esse uidentur, per Synecdochen, Metalepsin, Metonymiam, & similes figuras dextrè explicata, nihil dissidere inueniuntur.

Huius Regule plurima & illustria Exempla colligam infra cum Præcepta de Tropis & Schematibus explicanda erunt.

Multæ autem tales Regule, quas Augustinus nominat Clauēs, quib. Scripturarum occulta aperiantur, colligi à Studiosis debent. Et huc pertinent Tichonij Regule, quas Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 30. et deinceps recēset.

ΡΗΤΟΡ ΚΑΙ ΔΙΑΝΟΙΑΣ

SCRIPTI ET SENTENTIÆ.

Status ρητῶ καὶ διανοίας, ferè uniuersam do-

L 4

ctrimam

S C R I P T V M E T

Artem de scripturae interpretatione complectitur. Semper enim aut simplex uerborum sententia retinetur, aut ad sententiam ex collatione aliorum testimoniorum collectam decurritur.

PRIMUM autem firmissimè statuendum est. Vnam esse simplicem, certam & principalem scripturae sententiam, quam δῆκτορ seu uerborū proprietatē gignit. Voluit enim Deus, cum sit uerax, propria & dilucida oratione suam uoluntatem generi humano patefacere, ut dicitur, *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* Item Ἄωλδς ὁ μὲθ' ἧ ἀληθείας ἔφϋ.

SECUNDO. Cum δῆκτορ simpliciter intellectum, obscurum est, uel ambiguum, uel in aliquem fidei Articulum impingit, quærenda est διαωοία, seu mitigatio τῆ ρητῆς: Vel ex genere sermonis, ad quod fontes linguarum, cognitio Phrasid, figurarum, et præcepta Artium de ratione dicendi adhibeantur: Vel ex summa doctrinæ Christianæ: Vel ex aliorum testimoniorum collatione.

Vt in doctrina de Iustificatione Aduersarij contendunt διαωοίαρ adhibendam esse orationi Paulinæ: Fide iustificamur gratis. Nos uero proprietatem sermonis seu δῆκτορ retinemus, uidelicet, nos propter Filium Dei, & non propter nostram dignitatem, aut ulla merita accipere remissio-

SENTENTIA.

missionem peccatorum & reconciliationem ac imputationem Iustitiæ, cum credimus Euangelio, & fide statuimus nobis hæc beneficia propter Filium Dei dari. Hanc interpretationem nativam & ueram esse apparet collatis Prophetarum ac CHRISTI concionibus. Deniq; collato testimonio Catholicæ Ecclesiæ Dei, Id est, omnium hominum, qui intelligunt exercitia Pœnitentiæ, Fidei & Inuocationis.

TERTIO. Cum δ̄ ῥητόρ non cum Articulo fidei, sed cum iudicio rationis tantum pugnat, ipsa uerborum proprietas retinenda est. Ut in Articulo de Duabus naturis in CHRISTO, De Resurrectione corporum &c.

Oratio Ciceronis pro A. Cecinna ad hunc statum pertinet. Edicti Prætoris δ̄ ῥητόρ est, Vnde tu aut familia, aut procurator tuus, hominibus coactis armatisue ui quempiam deieceris &c. S. Ebutius respondet. Non deieci ex fundo, sed prohibui, ne posset accedere.

Cicero defendit δ̄ ἰσχωρίαι.

AMBIGVVM.

Ad Ambigui statum, pertinent controuersiæ, quæ ex Verbi aut Orationis alicuius generalitate, obscuritate, uel ambiguitate existunt.

L^o 5

Oritur

AMBIGUUM.

Oritur autem Ambiguitas, uel ex genere sermonis, uel ex Rebus, Videlicet, cum genus sine distinctione specierum, aut diuisio insufficientis ponitur.

Ac dijudicatio Ambiguitatis sumenda est: In uerbis quidem, ex Grammatica, & phrasi suae linguae:

In Rebus uero, ex Definitionibus & Diuisionibus, quae in ijs Artibus traduntur, unde uocabula ambigua sunt deprompta.

Præcepta de hoc statu, & Exempla illustria repetant Studiosi ex Quarto libro Dialectices.

RATIOCINATIO.

Cum non habemus testimonia Scripturae, quae expressis uerbis confirmant propositam materiam, Ratiocinatione iuxta Regulas Locorum Dialecticorum, argumenta extruimus, quae nostram sententiam stabiliant. Ut de Baptismo Infantum, non extat in scriptura mandatum, quod expressè iubeat baptizari infantes, sed ratiocinatione querendum est.

Omnes qui sunt futuri heredes Regni caelorum, necesse est renasci ex aqua & spiritu. Iohan. 3. Marc. 16.

Aliqui Infantes fiunt heredes Regni caelorum.

RATIOCINATIO.

rum. Matth. 19. Sinite pueros uenire ad me. Tali-
um est enim regnum cœlorum.

Ergo Infantes necesse est renasci ex aqua &
spiritu,

Item Mandatum Christi est uniuersale. Itē
baptizate omnes gentes. In hac uniuersali Infan-
tes etiam includendi sunt.

Huius status plurima exempla, extant in Pau-
lo, & præcipuè in Epistola ad Ebraeos.

Scriptura prædicit uenturum esse Sacerdo-
tem æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Ergo Leuiticum Sacerdotium cessabit.

Ieremias dicit, Ecce feriam cum domo Iuda
fœdus nouum. In hoc quod dicit Nouum antiqua-
uit Vetus.

Translatio.

De EXCEPTIONIBVS uide Institut: lib. 4.
Titul. 13. Item lib. 44. π. Et Codi. lib. 8. Tit. 36.

Exemplum illustre extat in primo de Orato-
re. Inter Hypsæum & Octauium.

DISPOSITIO.

Quod apud Xenophontem dicitur, οὐδὲρ οὐ-
τως οὐδὲ εὐχρηστορ οὐτὲ καλὸρ ἀνθρώπις ὡς ἡ
τάξις. Id in oratione imprimis conspici potest.

Plu

DISPOSITIO.

plurimum enim in dicendo ualet, & magnam in legendis aliorum scriptis lucem affert, imo prorsus necessaria est, apta precipuarum orationis partium & membrorum series ac dispositio.

Eius duplex est Ratio.

Altera Vulgaris, quam affert natura, & que in arte communiter traditur.

Altera accommodata Oratoris iudicio et prudentia, ad presentis causae conditionē, ut πρὶ Σεφάου, Pro Milone. Pro P. Sylla aliquantum usitatus ordo, immutatur.

Vulgaris seu Naturalis Dispositio, aut est totius Orationis in Exordium, Narrationem, Propositionem, Confirmationem, Confutationem & Conclusionem: Aut est singularum Orationis partium, ut Exordij, Narrationis, Argumentationis & c.

DE EXORDIIS.

EXORDIA aut omnino, aut magna ex parte quatuor membris constare debent.

Quorum primū est PROPOSITIO Exordij.

Alterum RATIO, seu ἀίτιολογία, quae ambo efficiunt Enthymema.

His accedit Tertium membrum, uidelicet, AMPLIFICATIO RATIONIS, seu Antecedens

EXORDIORVM.

tecedentis in Enthymemate: Vel Aduersatiua:
Vel Occupatio: Vel Simile quiddam.

Postremo adiungi solet CONCLUSIO,
quæ partes superiores non solum repetit, Sed
aptè etiam connectit cum reliquo corpore uni-
uersæ Orationis.

Vt pro Milone Propositio est. Perturbor hæc
noua forma iudicij.

Ratio. Quia forum septum est armatis co-
hortibus.

Aduersatiua. Sed tamen existimo hæc arma
disposita esse non contra nos, Sed pro nobis, &
pro communi tranquillitate.

Conclusio. Quare uos iudices hortor, ut de-
posito armorum metu liberè de optimo Ciue de-
cernatis.

In Locis Communibus, Propositio est. Homo
conditus est, ut sit Imago Dei.

Ratio. Quia Deus uult agnosci.

Aduersatiua. Sed hæc Imago horribiliter ob-
scurata est, per lapsum primorum parentum.
Hic insertæ sunt duæ occupationes.

Conclusio. Quare cum tantæ sint tenebræ hu-
manarum mentium, ingens Dei beneficium est,
quod se patefecit.

Pro

EXORDIA.

Pro Archia.

Propositio. Ego debeo Archiam tueri, ut referam ei gratiam.

Ratio. Quia Archias adiuuit hoc meum studium dicendi.

Conclusio. Cum beneficio Archiæ alijs operam ferre possim, conuenit ut ipsam quoq; defendam.

Exordium in Libros de Natura Deorum.

Propositio est. Perdifficilis & perobscura quæstio est de Natura Deorum.

Ratio. Nam magna dissensione inter Homines doctissimos de Dijs disceptatur.

Amplificatio Rationis à Distributione.

Hæc Exempla rationem disponendi membra Exordiorum monstrant.

Cum autem de Inuentione Exordiorum nihil adhuc dixerimus, paucis summam Præceptorum de Exordio complectemur.

Pindarus inquit, Ἀρχομῶν γε ἔργα πρόσωπον καὶ θέλω τελευτῆς, Id est, Vestibula operum speciosa esse debent. Quare etiam in Oratione formanda, mediocri diligentia elaborandum est, ut principium Orationis sit accuratum & aptum.

Sunt

EXORDIA.

Sunt autem **SEX LOCI** ex quibus pleraq;
Exordia ab Artificibus peti solent:

I. **A RE IPSA** ordiri usitatissimum est sa-
pientibus scriptoribus, ut omnes Poëtae incipiunt
à Propositione.

Μῦθον ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆϊ. In
Odyssea. Ἄνδρα μοί ἔννεπε, Μῦθε, πολυτράχυν.

Virgilius. Arma uirumq; cano.

Ouidius. In noua fert animus mutatas dicere
formas Corpora etc.

Lutherus plerumq; in prima Pagina suorum
scriptorum, summam rei, de qua dicturus est, per-
spicue proponit, cum in plerisq; aliorum Libris,
uix multis paginis perlectis sciri possit, qua de
re dicere instituerint.

Sic pleriq; sapientes Historici, & Oratores
à Rei proposita dignitate, magnitudine, suauita-
te incipiunt, Ut Thucydides Belli Peloponasiaci:
Liuius Belli Punici secundi historiam inchoat.

Cicero de Natura Deorum, de Diuinatione
& alibi.

II. **A PERSONA**, uel nostra, uel Audito-
rum, uel Aduersariorum.

Cum à nostra persona ordiri uolumus, uere-
cunda quadam extenuatione nostri ingenij, facun-
die & c. utemur, & omni studio arrogantiæ &
Thrasoniæ

EXORDIA.

Thraſonicam uanitatē fugiemus. Idq; nō in Exordio ſolum, ſed etiam in omni reliqua Oratione præſtabimus.

Quoties ab Auditorum perſona principium facere libet, uerecundo ac graui Encomio, laudes eorum celebrandæ ſunt. Vt in Exordio Epistolæ ad Romanos, Paulus fidem Romanorum laudat.

Cum aduerſariorum iniuriæ neceſſitatē nobis reſpondendi afferunt, non certemus cum eis maledicentia, ſed bonitate rerum, & grauitate orationis, ac Modestia aduerſarios uincere ſtudeamus. Vt ille apud Herodotū in Polymnia inquit: *Σὺ μὲν ἀποδεξάμενος ὑβρίσματα, οὐ με πείσεις ἀχήμενα ἐν τῇ ἀμοιβῇ ἡνέσθης.*

Huius Præcepti Exemplum ualdè illuſtre eſt Reſponſio Philippi ad Colonienses.

Item Epistola Pauli ad Galatas.

Oratio Demosthenis περὶ Σεφάων

III. A CAUSA, quæ nos ad dicendum & ſcribendum impulit. Ex hoc loco multa Exordia Declamationum Philippi deprompta ſunt.

Vt in Encomio Sueuorum. De utilitate Arithmeticæ. De ſtudijs Adolescentum. De Amore Veritatis. Et ubicunq; præſantur dicturi ſe uel publica conſuetudine, uel iuſſu præceptorum, non fiducia ſui ingenij ad dicendum adduci.

Sic

EXORDIA.

Sic Cicero in aliquot Orationibus initio reddit rationem susceptæ defensionis, ut in Verrem. Pro Rabirio. Pro S. Roscio.

IIII. *Vsitatum & ἠθικὸν est ordiri A VERBIS AFFECTIVVM, quibus iucundam nobis esse amicorum uoluntatem, & nos rebus eorum secundis letari, aduersis dolere ostendamus, & benè ipsis precemur.*

In Orationibus Funebribus, semper Initium ducitur à Luctu & Causis, quæ nos ad lugendum mouere debent.

Paulus plerasq; Epistolas orditur à precatione & Gratiarum actione. Gratias ago Deo, quod uos ad Euangelij lucem uocauit, cumq; oro, ut augeat hanc lucem in uobis, & uos corroboret & consoletur.

Sic omnes Orationes à Philippo his proximis annis scriptæ, in Exordio Gratiarum actionem et Precationem continent.

Sic à Voto orditur Cicero, Pro Murena, et ad Quirites post reditum.

V. *A CIRCVMSTANTIA TEMPORIS aut LOCI, Vt Philippus Præfationem in Danielem incipit.*

Hæc cum in Bruma scriberem, tempus me de Halcyonijs admonuit &c.

M In

EXORDIA.

In Oratione de Paulo Apostolo. Proponit hoc die Ecclesia meditandam Pauli historiam.

Ita hoc noui Anni principio, quod instat, poterunt Studiosi in Epistolis à tempore initium sumere. Vsitatum est ordiri Annum ab eo die, quo ἡμέτερα Filij Dei celebrantur, Congruit enim eundem diem, qui salutis nostræ Exordium fuit, Anni quoq; initium ducere. Quare Filium Dei natum ex Maria uirgine oro, ut det tibi faustum & fœlicem Annum.

Thucydides historiam Belli Siculi à descriptione Loci, seu à Corographia Siciliae inchoat.

VI. CHREIA, Γνώμη, uel Narratio aliqua, quæ ad institutum dextrè accommodatur.

In hoc genere Exordiorum, quæ mirifica suauitate Auditorem alliciunt, Artifex est Philippus. Exempla illustria sunt. Prefatio in Euclidem, quam orditur ab interpretatione Symboli Platonici. Ἀγεωμετρῆτ' οὐδέ τις εἰσιτω.

In Theoricis, ab Oraculo, quo iuebantur Græci duplicare Aram Delphicam.

In Hesiodum. In Ptolemæum &c.

Cicero lib. 15. ad Catonem. Lætus sum laudari, inquit Hector opinor apud Næuium, à te Pater laudato uiro.

In secunda Phusculana. Neoptolemus apud Ennium,

NARRATIONES.

Ennium, Philosophari ait sibi esse necesse, sed paucis &c.

DE NARRATIONE.

Narrationes ordinem rerum, ut gesta sunt, ipsumque naturæ ductum sequi debent. Ut primum consilia, Deinde acta, postea euentus, euentuumque Cause recitentur.

Pro Milone, Consilia. P. Clodius cum statuisset omni scelere uexare Rempub.

Acta. Roma ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum insidias Miloni collocaret.

Euentus. Occisus Clodius.

Cause. Vi uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est.

Hic ordo est Narrationum in omnibus Historijs sapienter scriptis, de quibus Lucianus scribit. ἰσορία ταῖς τῶν δεικνύσεως ἀρεταῖς κατασκευασμένη, λείως τε καὶ ὁματῶς προϊδὲν ἔπειτα τὸ ἀφ᾽ ἐπιανθείτω τῆ λέξει καὶ τῆ περιπλοκῆ τῶν πραγμάτων, καὶ ἀλυσέως ἕσπεω σωρημοσμένη, Hoc est, Virtutibus Narrationis ornata sit historia leniter & æquabiliter fluens. Deinde perspicua sit, & expoliatur, flosculis elocutionis, & ordine rerum, instar catenæ inter se coherentium.



NARRATIONES.

Vulgo quatuor uirtutes Bonæ Narrationis recitantur.

I. BREUITAS clara & dilucida, quæ nihil quod necessarium sit omittit, neq; plus dicit, quàm necesse est, nec antecedentia Narrationi miscet, quæ ex consequentibus sua sponte intelliguntur.

II. PERSPICUITAS, quæ uerbis usitatis, significantibus, adpositis constat, & ordinem temporum, causarum, consiliorum, actorum, euentuum conseruat.

III. PROBABILITAS, cum personis, temporibus, locis consentientia narrantur, cum cause & consilia euentibus accommodantur, Cum probitas Narrantis significatur &c.

IIII. SVAVITAS, cum Gestus & Adfectus Animorum seu ἦθη exprimuntur. Cuius optimum Exemplum est Narratio de Distinctione ordinum in uita, quæ in Epistola Philippi ad Comitem à Wæda extat.

DE PROPOSITIONE.

PROPOSITIO in omni oratione necessaria est aperta et perspicua, continens summam Negocij, ad quam postea reliquæ partes aptè accommodentur. Hæc commones factio supra de statibus recitata est.

Cum

DISPOSITIO.

Cum plures sunt Propositiones, quas sæpe Copia & Varietas rerum desiderat, Partitione utendum est, De hac duo Præcepta traduntur.

I. Ut fiat Distributio in paucas partes Essentiales seu Integrales, non nimis exiliter, ne auditor ipsa multitudine defatigetur.

II. Ut partes eodem ordine explicentur, quo propositæ sunt. Ut in prima Scena Terētij. Et compacto & Gnati uitam cognosces, & meum consilium, & quid facere hac in re te uelim.

Pro Manilia quatuor uirtutes imperatorias ordine tractat.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmationes constant Argumentationibus, hoc est, Syllogismis, & Enthymematis. Quare Confirmationum Dispositionem, Syllogismorum Doctrina monstrat. Nam apud Aristotelem in Analyticis prioribus uarietas figurarum, inter cetera etiam disponendi & collocandi rationem monstrat.

Conuenientissimus autem nature ordo est, ut post Propositionem sequatur *Ἄνωρ*, seu Communis sententia, uelut Fons totius probationis, Quæ Dialecticis Maiorem in prima Figura constituit:

M 3

Hæc

DISPOSITIO.

Hæc uel confirmetur Argumentis, uel illustretur Exemplis, & similibus Locis.

Postea contexatur hæc Sententia cum nostro negocio, hoc est, ut Dialectici uocant, Minor ponatur, & similiter uel confirmetur, uel illustretur.

Postremo sequatur Conclusio, seu Cause status.

Vt pro Milone, primum ponitur Maior:
Defensio contra insidias iure Naturæ concessa est.

Deinde Narratio & Minor. Milo defendit se contra Clodium insidiatorem.

Ergo iustè fecit.

Pro Sylla.

Maior. Omnibus in rebus Iudices, quæ grauiorres, maioresq; sunt, quid quisq; uoluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed moribus eius, qui arguitur est ponderandum.

Cōpro-
batio. Neq; enim potest quisquam nostrum subito fingi, neq; cuiusq; repente uita mutari, aut natura conuerti.

Minor. Agedum, conferte nunc cum illius uita, uitam P. Syllæ uobis P. R. notissimã.

Pro

DISPOSITIO.
Pro Lege Manilia.
Maior.

In Summo Imperatore Quatuor has res inesse oportet, Scientiam Rei Militaris, Virtutem, Authoritatem, Fœlicitatem.

Minor.

Quis igitur hoc homine scientior unquam fuit? Virtuti Cn: Pompei, quæ potest par oratio inueniri? An nemini dubium est, quin authoritate, idem Imperator plurimum possit &c.

Conclusio.

Quare cum Imperatorem huic bello præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis uirtus, clarissima authoritas, egregia fortuna dubitatis Quirites &c.

Pro Roscio.

Maior.

Lu: Cassius ille, quem P. R. uerissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis querere solebat, Cui bono fuisset.

Minor.

In hac autem causa uidetis illos amplissimam pecuniam possidere. Hunc in summa mendacitate esse.

Pro Murena.

M 4

Maior.

DISPOSITIO.

Maior.

Ad Consulatum adipiscendum multò plus af-
fert dignitatis, rei militaris, quàm iuris ciuilis
gloria.

Minor.

Murena est Imperator bonus, Seruius Sulpi-
tius est iuris consultus. Ergo.

Interdum hic ordo Propositionum interpola-
tur, ita ut à Minore Argumentatio inchoetur. Id
à mediocriter exercitato facilè animaduerti po-
test.

Vt pro Cœlio.

Demosthenes $\pi\rho\iota$ $\sigma\epsilon\phi\acute{\alpha}\nu\varsigma$.

Sed tamen in omnibus generibus, maximè se-
quendus est naturæ ordo, quem in præceptis In-
ventionis seruauimus.

In Genere Didascalico Primo Loco ponatur
Definitio: Secundo, Species seu partes, earumq;
Definitiones: Tertio, Cause, Officia, Pugnancia.

In Demonstratiuo Personarum, Historicum
filum commodissimè sequimur.

In Demōstratiuo factorum, primo loco Hone-
stas. 2. Utilitas. 3. Difficultas tractatur.

Eadem Dispositio in genere Deliberatiuo
seruetur.

DISPOSITIO.

In Iudicialibus Argumentis disponendis, idem quod in ordinanda acie seruandum est, ut quæ minimum ualent in medio, Firmissima uero primo & ultimo loco collocentur.

DE INSTITVENDIS Locis Communibus Philosophicis, Commonefactio utilis, à Dauide de Chytreo Discipulo cuius dam præscripta.

Multæ sunt & amplissimæ utilitates Præcepti, de LOCIS COMMVNIBVS, in omni genere Artium, & in omni oratione.

Primum enim in docendis omnibus Artibus utilissimum est, proponere summam doctrinæ distributam certo ordine, in Locos Communes, eosq; adhibita Methodo, integrè & perspicuè explicare.

Deinde, Omnia scripta tum demum rectè & intelliguntur, & enarrantur, cum ad Locos Communes, qui summam continent eius Artis, ad quam scripta pertinent, aptè referuntur. Ideo in enarratione Euangeliorum, uel aliarum

M 5 partium

DE LOCIS

partium Scripturae sacrae, praecipua Orationis membra, ad Locos Theologicos reuocanda sunt. In enarratione Librorum Ethicorum, Vt Officiorum Ciceronis, Hesiodi, Phocylidis, Theognidis, Catonis, Prouerbiorum Salomonis, Ecclesiastici &c. praecipuae sententiae sunt referendae ad Locos Communes Ethicos, hoc est, Virtutum & Viciarum, & Prudentiae, qua Virtutum Actiones gubernantur: In Physicis scriptis, ad Physicos, In Medicis, ad Medicos Locos referri interpretationem prodest.

Postea, in dicendo fontes omnium Argumentorum & Confirmationum sunt Loci Communes, qui plerunq; Maiorem in Principali Syllogismo, & ceteris probationibus constituunt, ut in Oratione pro Milone, Maior est Locus Communis, quod Ius Naturae concedat interfici Insuperdiatorem.

Præterea etiam Amplificationum & Ornamentorum fontes sunt. Omnes enim materiae fiunt uberiores & splendidiores, cum ad Theas transferuntur.

Postremo ualdè illustria lumina Orationis sunt, cum aptè intertextuntur graues γνώμῃ seu

COMMVNIBVS.

Seu Sententiae magnorum authorum, Item Exempla, Similitudines, Apologi, Prouerbia, & Epigrammata, seu Apophtegmata, & si qua sunt similia. Quorum cum magna sit uarietas & copia apud optimos scriptores, nec quisquam adeo foelici memoria sit, ut omnia meminisse, & ad usum quocunq; tempore prompta & parata habere possit: Valde prodest annotatos habere titulos Locorum Communium, certo ordine distributos, ad quos omnia, quaecunq; legimus aut discimus, tanquam in certas Classes redigamus.

Sunt autem in Lectione Bonorum authorum, tria praecipue obseruanda.

PRIMUM. Doctrina de Rebus ipsis, quas author tractandas suscepit. Considerandus est igitur in quolibet scripto status, seu Principalis propositio, & excerpenda sunt Principalia membra seu Argumenta, iuxta seriem locorum eius generis causarum, ad quod scripta pertinent. Ut in Lectione Epistolae ad Romanos primo status consideretur, Videlicet, Doctrina de Iustitia
Hominiis

DE LOCIS

Homini coram Deo. Deinde, Principalia membra excerpantur, iuxta seriem Locorum Generis Didascalici, uidelicet, Quid sit Iustitia Christiana, Quæ Cause, Qui Effectus, Quæ Cognata, Quæ Pugnancia.

In Lectione Orationis pro Milone, primo status, & Principalis syllogismus: Deinde præcipua Argumenta ex Locis Generis Iudicialis sumpta, inquirantur. Postea in singulis partibus Orationis, Ut Exordio, Narratione &c. præcipua membra aptè distribuuntur, & euoluantur.

In Lectione secundi Libri, de Natura Deorum Ciceronis status est, Doctrina Philosophica de Deo. Principalia membra quatuor, ad seriem Locorum Generis Didascalici directa sunt.

1. An sit Deus.
2. Quid & Qualis sit Deus.
3. Qui Effectus, An Mundus à Deo administratur.
4. An Homines Deo curæ sint.

SECUNDO. Ex singulis scriptis, aliqua insignes, & lectæ sententiæ

C O M M V N I B V S.

tiæ edisci, & memoriæ infigi debent.
Vt in Epistola ad Romanos cap. 1. Euangelion est
potentiad Dei, ad salutem omni credenti.

Iustus fide uiuit.

Iustificati fide pacem habemus & c.

In Secundo de Natura Deorum. Omnibus
innatum, & in animo quasi insculptum est, esse
Deum.

Item. Nemo Vir magnus sine Deo unquam
fuit.

Item. Mala & Impia consuetudo est, con-
tra Deos disputandi, siue ex animo id fiat, siue
simulatè.

In Oratione pro Milone. Est uero hæc iudices
non scripta, sed nata Lex & c.

Item in Quæstionibus factorum, præcipuè ui-
dendum est, CUI BONO FVERIT.

Ad hunc secundum Locum, Omnes γνώμα,
Exempla, Similitudines, Apologi, ἔπειρα & c.
refero.

TERTIO. Verba illustria, Phra-
ses, Figuræ Verborum, Sententia-
rum & Amplificationum obseruan-
dæ sunt.

Cum

DE LOCIS

Cum autem maxima copia sit bonorum authorum, qui & rerum omnium doctrinam continent, & pulcherrimis luminibus Sententiarum, Exemplorum, Similitudinum &c. abundant, & Oratione pura, munda, perspicua & eleganti utuntur: Cumq; omnes aut certè præcipui legendi sint ab eo, qui uelit inter eruditos haberi: utilissimum & maximè necessarium est studiosis, Habere in promptu tales ordines Locorum Communium, qui fontes & summas præcipuarum Artium continent, ad quos omnia, quæ in scriptoribus memoria digna occurrunt, annotemus. Ita & memoria firmitas & promptitudo adiuuabitur, & index in præcipuos aucthores, ac penu instruetur, ex quo depromere ingentem copiam optimarum rerum, sententiarum, exemplorum, ad præsentem materiam illustrandam, pertinentium, licebit.

Locos Communes prodest initio per usitatas Quæstiones Methodi, exploratè inuestigatos & cognitos habere, ac singulis membris, & præcipuè Definitioni, Causis, Finibus seu Utilitatibus, seu Officijs, congruentes sententias, Exemplum, & similitudines, ex bonis authoribus collectas, adscribere.

COMMVNBVS.

In distribuendis Locorum Titulis alij alium ordinem seruant. Quidam seriem Prædicamentorum: Quidam Partes Hominis: Quidam Genera causarum, Didascalicon, Iudiciale, Suasorium, Demonstratiuum: Quidam Artium discrimina: Quidam Affirmitatis & Pugnantiæ rationem: Quidam Literarum ordinem, in dirigendis Locis sequuntur.

Licebit igitur cuiq; ordinem Locorum suo arbitrio instituere.

Nunc Philosophicos seu Ethicos & Politicos Locos, quorum usus maximè communis est, iuxta seriem Præceptorum Decalogi, distributos, recitabo. Et singulis præceptis non tantum Virtutum & Viciorum, sed etiam Obiectorum Vocabula includam. Deinde paucos Locos ad Partes Hominis accommodabo. Tandem Artes & præcipuos, præcipuarum Artium Locos attexam.

Sit igitur, fausti ominis loco, Primus Titulus.

I. DEVS. Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος τοῦ κακοῦ θεοῦ. An sit, Quid sit. Quod non sit causa mali.

II. Proui-

LOC I

II. Prouidentia.	Veteres leges non abo-
III. Pietas erga Deum,	lende.
seu Religio .	Ex scriptis legibus iudi-
Ceremoniæ Sacrorum,	candum.
seu Sacrificia.	Lex Naturæ .
Ceremonia Excommu-	Ius Gentium.
nicationis , Expiatio-	Lex positiva.
nis.	ἘΠΙΣΙΝΕΙΑ.
Idolatria.	Summum Ius, seu Rigor
Superstitio.	Iuris.
Dubitaciones Ethnicæ	Calumnia.
de Deo, & de Proui-	Consuetudo.
dentia .	Ad IIII. Præ-
Epicureus contemptus	ceptum.
Dei.	Societas Ciuilis, Poli-
Beatitudo.	tia .
Finis Hominis seu sum-	Ciuitas, Respub. Impe-
mum bonum.	rium.
Virtus , Officium , Ho-	Omnia ad utilitatem
nestum, Bonum .	Reipub. referenda
Iustitia uniuersalis.	esse.
Obedien- / Magistratus.	Causæ euersionis poli-
tia erga \ Leges.	tiarum.
LEX Quid sit.	Formæ πολιτεῶν .
Finis Legum.	Magistratus, Potestas
Legum authoritas.	Politica.

Monar^a

C O M M V N E S.

Monarchia, Regnum.	Patria. (Maritos.
Tyrannis.	Pietas Mulierum erga
Aula, Vita Aulica.	Φιλανθρωπία. Fratres.
Aristocratia.	Parētes, Liberi. Generi.
Oligarchia.	Educatio liberorum.
Democratia.	Præceptores. Discipuli.
Χειροκρατία.	Sedulitas. Diligentia.
Vulgus seditiosum.	Labor. Assiduitas.
Nobilitas.	Celeritas. Cunctatio.
Genealogia Virorum	Ignavia. Ocium.
illustrium.	Πολυπραγμοσύνη.
Obscuritas Generis.	Ambitio.
Libertas Ciuilis.	Superbia.
Seruitus.	Modestia.
Iustitia Distributiua.	Modus. Mediocritas.
Distributiones ordinū,	Adpetitio Gloria. (uor.
Magistratuū, officiorū,	Æmulatio, Inuidētia, Li
in diuersis Rebuspub.	Laus. Honor.
Rōana, Attica, Iudaica.	Bona fama.
Iura, Leges, Statuta, Cō-	Infamia.
suetudines uariarum	Fama. Rumores.
Gentium.	Ad V. Præceptum.
Iudicia.	Iustitia Particularis.
Iudicium officia.	Æqualitas.
Pietas erga Parentes et	Iniuria. Violentia.
Liberos.	Gradu Delictorum.
Στοργαί. Ἄσοργία.	Pœna scelerum.

N Furia,

L O C I

<i>Furia, Mala Consciētia.</i>	<i>Crudelitas.</i>
<i>Fortitudo bellica.</i>	<i>Ειλονεικία. Contentiositas. Eris.</i>
<i>Audacia. Temeritas.</i>	<i>Studium Concordia seu</i>
<i>Timiditas. Mollicies.</i>	<i>Ειλοσυχία.</i>
<i>Pax.</i>	<i>Concordia.</i>
<i>Bellum. Defensio.</i>	<i>Discordia.</i>
<i>Calamitates bellorum.</i>	<i>Amicicia.</i>
<i>Incerti euentus bellorū.</i>	<i>Amici in rebus aduersis</i>
<i>Peritia et disciplina rei</i>	<i>cōstātes uel incōstātes.</i>
<i>militaris.</i>	<i>Sodalitium. Consuetudo</i>
<i>Stratagemata.</i>	<i>bonorū uel prauorū.</i>
<i>Arma.</i>	<i>Sarta Gratia. Reconci-</i>
<i>Machina bellicæ.</i>	<i>liatio.</i>
<i>Exercituū descriptiōes.</i>	<i>Humanitas. ἠθικὸν εἶδος.</i>
<i>Victoria.</i>	<i>Suauitas morum.</i>
<i>Seditio. Bellū intestinū.</i>	<i>Inhumanitas.</i>
<i>Proditio.</i>	<i>Morositas.</i>
<i>Fortitudo togata.</i>	<i>Nemesis. Zelus.</i>
<i>Pacientia.</i>	<i>Lentitas, Indulgentia.</i>
<i>Fastidium rerum præ-</i>	<i>Leuitas.</i>
<i>sentium.</i>	<i>Ad VI. Præceptum.</i>
<i>Mansuetudo.</i>	<i>Castitas, Pudicicia.</i>
<i>Misericordia.</i>	<i>Continentia.</i>
<i>Clementia.</i>	<i>Virginitas. Cœlibatus.</i>
<i>Επιεικεια.</i>	<i>Coniugium.</i>
<i>Iracundia, Ira.</i>	<i>Proba et οἰκος Μυλιερ</i>
<i>Cupiditas uindictæ.</i>	<i>Polygamia.</i>

COMMVNES.

Polygamia.	Beneficētia. Liberalitas.
Legitimæ Nuptiæ per gradus Consanguini- tatis & Adfinitatis.	Eleemosynæ. Hospitalitas. Ius Hospitiij Parsimonia, Frugalitas.
Ritus Nuptiarum.	Auaritia. Sordes.
Incestæ Nuptiæ.	Profusio. Largitio.
Vagæ Libidines, et earū pœnæ. Scortationes.	Gratitudo. χάριτες. Merces. δίδρακτον.
Adulteria. Diuortia.	Premia.
Raptus. Stupra.	Ingratitudo. Diuitiæ.
Sexus muliebris. Vestitio.	Opes. Pecunia. Munera.
Pudor. Verecundia.	Paupertas.
Impudētia. Obscœnitas.	Fames.
Temperātia. Sobrietas.	Distinctio Dominiorū.
Conuiuium.	Proprietas rerum.
Ebrietas.	Testamenta.
Luxuria.	Hereditates.
Voluptates.	Legata.

Ad VII. Præceptum.

Ad VIII.

Iusticia Commutatiua.	Veritas. Simplicitas.
Obligatio. Contractus.	Candor. Constantia.
Emptio. Venditio.	Docilitas.
Locatio. Conductio.	Mendacium. Sophistica.
Mutuatio. Commodatū.	Dolus. Fraus.
Depositum. Pignus.	Perfidia.
Mercatura.	Stulta credulitas.
Furtum. πλεονεξία.	Suspicio.

N 2 Per

LOC I

Pertinacia.	Dolor.
Simulatio, Fucus, Hypo-	Lachrymæ.
Iusiurandum. (crisis.	Spes.
Fœdus .	Metus & c.
Periuria & Pœna.	Hactenus Locos Ethicos
Lingua.	& Politicos, iuxta se-
Linguarum studia.	riem Præceptorum
Vicia Linguae . (tia.	Decalogi recitavi .
Obtrectatio, Maledicen	Nunc aliam Classen
Calumnia, Conuicia.	Locorum, iuxta adia-
Vanitas, lactantia.	centia quædam Homi-
Assentatio.	nis, & Artium ordi-
Garrulitas, Futilitas.	nem instituan.
Taciturnitas .	Homo.
Eloquentia.	Vita Hominis .
Oratio. Orator.	Calamitates & miseria
Urbanitas, Sales, Ioci.	generis humani.
Scurrilitas. Scepticum	Consolationes opponen-
Ludus, Ludrica. (esse.	Necessitas. (de.
Comitas, Humanitas.	Dignitas Virtutis.
IX. & X.	Bona conscientia.
Cupiditates.	Cause finales. Utilita-
Adfectus.	Exempla. (tes.
Amor .	Spes Liberationis.
Letitia.	Ætas Hominis.
Odium .	Iuuentus.
Tristitia.	Senectus.

Vina

COMMUNES.

Vivaces, Longævi. Profodia. Pedes, Metro-
 Mors. rum genera.
 Funeris Ceremonia. Etymologia.
 Sepultura. Syntaxis.
 Epitaphia. (talis. Dialectica.
 Anima hominis immor- Disputatio. λογικα.
 Mens humana, Ingeniū, Examina. (Χίρα.
 Ratio, Intellectus. RHETORICA.
 Sapientia. Inuentio. Genera causa-
 Ignorantia, Errores. rum.
 Prudentia. Dispositio. ORDO.
 Consilium felix. Elocutio. Phrasis.
 Stultitia, Frustratio con- Figura.
 filiorum. Amplificatio.
 PHILOSOPHIA, Artes, Imitatio.
 Literæ, Studia Doctri- Memoria.
 ne. Scientiæ, Discipli- Pronunciatio.
 ne. POETICA. Poëtæ.
 Ratio discendi optima. Poëmatum Genera.
 Scholæ. Vita scholastica. Comœdia. Tragœdia.
 Sectæ Philosophorum. Ethica.
 Peripatetica. Iurisprudentia.
 Stoica. Epicurea. Oeconomica,
 Academica. Arithmetica.
 Grammatica. Numerus.
 Orthographia, Assis partes. Numisma-
 Scripturæ elegantia. Geometria. (ta.
 N 3 Linea.

LOCI

Linea.	Longitudo.	♃. Iupiter.
Breuitas.	Superficies.	♂. Mars.
Corpus.		☉. Sol.
Pondera.		Dies.
Musica.		Annus.
Astronomia.		♀. Venus.
Geographia.		☿. Mercurius.
Astrologia, Magia.		☾. Luna.
Historia.		Menses.
Nationum & populorum origines, Incrementa, mutationes, clades, excidia.		Eclipses Solis & Lunæ. Natura, Fatum. Necessitas. Cōtingētia. Voluntatis humanæ libertas.
Medicina, Medici.		libertas.
Anatomica, Partes hominis.		Fortuna, Casus.
Morbi.	(minis.	Predictiones, Oracula.
Dieta.		Prodigia, Monstra.
Remedia.		Elementa.
Valetudo, eiusq; conseruanda Præcepta.		Qualitates primæ. Calor.
Physica.		Frigus.
Mundus.		Humor.
Cælum.		Siccitas.
Stellæ fixæ, earumq; ortus, occasus, magnitudines, uires, motus.		Qualitates secundæ. Mixtio. Alteratio. Generatio.
♄. Saturnus.		Coctionum Species. Putre


COMMUNES.

Putrefactio.	Fruges.
Meteora.	Panum differentia &
Ignis.	Adpellationes.
Cometa.	Legumina.
Aer.	Vinea. Vites. Vinum.
Venti.	Cereuisia.
Aqua.	Mel.
Mare.	Oleum.
Sal.	Lac. & c.
Fontes.	Animalia.
Flumina.	Animalium quorundam
Terra.	natura, & Virtutum
Terraemotus.	simulachra diuinitus
Metalla.	eis impressa, ut nos ad
Aurum.	uirtutem inuitarent,
Argentum.	& dehortarentur à
Moneta.	uicijs.
Lapides.	Aues.
Gemma.	Pisces.
Plantæ.	Insecta.
Partes plantarum.	Apes.
Arbores.	Quadrupeda Terre.
Frutices.	Serpentes. (Stria.)
Herbæ.	Homo.
Horti.	Potentia Anima.
Flores.	Vegetiua.
Fructus.	Sensitiua.
	Visus.

LOCI COMMUNES.

Visus.	Nauigatio.
Colores.	Agricultura.
Lux.	DIALECTICA.
Auditus.	Methodus seu Loci Dia-
Soni, Vox.	lectici.
Olfactus.	Sapores. κριτήρια certitudinis.
Tactus.	Principium.
Sensus communis.	Experientia.
Phantasia.	Syllogismus.
Somnus.	Methodus Simplicium
Somnia.	Questionum.
Adpetitiua Potentia.	Methodus Questionis
Locomotiuā.	coniuncta.
Iter, Via.	Loci personarum.
Peregrinatio.	Loci Rerum.
Mens.	Definitio.
Artes Mechanicæ.	Diuisio.
Artifices Insignes.	Causæ.
Architectonica.	Effectus.
Ædificia et eorum par	Similia.
Pictoria.	(tes. Pugnantia.
Statuaria.	Et ceteri loci, qui in
Textoria.	Quarto Dialectices,
Sagittandi Ars.	ordine recensentur.
Naues, Nauiū partes.	

FINIS.



Manilius

Haerentes moribus, finisq; ab origine peract


Vniuersitatis apertae noscitur, sed aranea tibi
Vultus adorati, Lynx in se, sinna pupa

50/156

AB 50/156

X 220 2242 Sb.





2

PRÆCEPTA
RHETORI
CÆ INVENTIONIS,
ILLVSTRATA MVLTVS ET VTI-
libus Exemplis, ex Sacra Scripturæ
ra, & Cicerone, sumptis.

A
DAVIDE CHYTRÆO.



VITEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO. Ⓞ
ANNO M. D. LVI.

